

Digitized by Google

A. Lat. a. 2115

~~1133~~

Valerius

Digitized by Google

Digitized by Google

Oc. 3. 1429.

Digitized by Google

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBRI OCTO

AD OPTIMAS EDITIONES COLLATI

PRÆMITTITUR NOTITIA LITERARIA

ACCEDIT INDEX

STUDIIS SOCIETATIS BIPONTINÆ



EDITIO ACCURATA

BIPONTI
Ex Typographia Societatis
CIƆIƆCCLXXXVI

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Digitized by Google

C. VALERII FLACCI
ARGONAUTICON
LIBRI VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

C. VALERII FLACCI
VITA

Ex Petro Crinito Lib. IV, c. 68 de Poetis Lat. & Gyraldo Hiſt. Poet. dial. IV, p. 181.

CAJUS VALERIUS FLACCUS Setinus, inter eos, qui heroica decantarunt, poeta multorum judicio admirandus, Patavinus fuit, juxta Aponam natus, ut a veteribus traditum eſt, qui ſcribunt, ejus patriam fuiſſe maxime inſignem natalibus Livii, Stellæ, & Valerii Flacci: de quo Martialis:

Cenſetur Apona Livio ſuo tellus,
Stellaque, nec Flacco minus.

Itaque hunc ipſum Valerius Martialis laris Antenorei alumnum appellavit. Alii Setinum crediderunt, ex Setia Campaniæ urbe, quæ haud procul a Velitris fuit: unde in magno pretio habita ſunt Setina vina, ut ab antiquis ſcriptoribus relatum eſt. Sunt & qui Decemvirum Sibyllinum putent eum fuiſſe, ducti illis ejus verſibus:

Phœbe, mone, ſi Cymææ mihi conſcia vatis
Stat caſta cortina domo.

Et mirum videri debet, quanto ſpiritu Flaccus inſur-

gat, quantaque ingenii felicitate in ſcribendo carmine præſtet. Hic eſt ille Val. Flaccus, cujus obitu multum fuiſſe amiſſum queritur Fab. Quinctilianus in libris ad Marcellum Victorium. Exſtant ipſius VIII volumina de Argonauticis, quod opus dicatum eſt Cæſari Domitiano, vel, ut alii volunt, patri Veſpaſiano, quoniam ſic ad eum ſcribat in ipſa præfatione operis:

Eripe me populis, & habenti nubila terræ,
Sancte pater; veterumque fave veneranda canenti
Facta virûm. verſam proles tua pandat Idumen,
(Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, & in omni turre furentem.

Scripturus erat multo plures libros, niſi mors intempeſtiva eum nobis eripuiſſet. Videtur autem in illis, qui ſuperſunt, Apollonium Rhodium non tantum argumento operis expreſſiſſe, ſed etiam ſingulis quandoque carminibus. Atacinus quoque Varro pari titulo compoſuit libros de Argonautis, quod alibi notavimus. Idem Flaccus inter amicos habuit Secundum, Maternum, Stellam, & Valerium Martialem, qui ad eum ſcribit, eruditionemque ejus magnopere extollit. Conſtat, hunc mediocri cenſu, ac pæne tenui fuiſſe, & prædium poſſediſſe exiguum, in quo, ut Martialis refert, Muſarum curas reponeret. Itaque Martialis idem libere illum monet, ut, relictis Muſis atque otio, malit in foro & cauſis agendis verſari: quoniam poetarum ſtudia parvi admodum cenſerentur, ut ex his verſibus patet:

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei ſpes & alumne laris:
Pierios differ cantuſque choroſque ſororum,
Æs dabit ex iſtis nulla puella tibi.
Quid tibi cum Cyrrha? quid cum Permeſſidos unda?
Romanum propius divitiuſque forum eſt.
Illic æra ſonant. —— ——

Habuit Flaccus puerum in deliciis, quem Amazonicum quidam appellant: ejus formam, indolem atque venuſtatem Martialis proſequitur eleganti epigrammate. De alio Flacco, qui epigrammata ſcripſit, ſuo loco diximus. Scripſerunt alias Argonautica præter Latinos duos, Atacium Varronem, & hunc noſtrum, Orpheus, non Thracius, ſed Italus, Crotoniata; deinde Epimenides Gnoſius; poſt eum Cleon, Curicus poeta, a quo, ut Græci obſervant, Apollonius omnia tranſtulit; tum Herodorus; poſt Herodorum Apollonius Rhodius; poſt Apollonium Dionyſius Mileſius; poſt hos Latini illi duo.

NOTITIA LITERARIA
DE
VALERIO FLACCO
EX

Jo. Alb. Fabricii bibliotheca Latina a Jo. Aug. Erneſti auctius edita Tom. II, lib. II, cap. XIV.

Valerii Flacci ætas.

C. Valerius [1] Flaccus *Setinus* [2] *Balbus*, poeta non ignobilis, atque inter Latinos uno fortaſſis

1 Alius *L. Valerius Flaccus* conſul, de quo Begerus Tom. II theſauri Brandenburgici p. 591. Nam poetam noſtrum conſulem haud fuiſſe, recte docet Barthius adverſus Carrion. Alius *Valerius Flaccus* Catonis majoris commendator, de quo Plutarchus p. 337 notat, quod fuerit ἀρετὴν φυομένην μὲν αἰσθάνεσθαι δεινὸς, εὐμενὴς δὲ καὶ θρέψαι καὶ προαγαγεῖν εἰς δόξαν. Alius *Valerius Flaccus* adoleſcens nobilis, de quo Vopiſcus in Probo, cap. 5. Fuit & *Valerius Flaccus* quidam *Viterbienſis*, Medicus Sixti IV, Pontificis, æqualis Raph. Volaterrani, qui eum laudat lib. 21 commentar. Urban. De *Setini Balbi* nomine dubii hærent Nic. Heinſius, & Thomas Reineſius T. V ſylloges Epiſtolarum Burmannianæ p. 205, 206. Heinſio etiam in mentem venit ſuſpicari, nomine *Setini Balbi* deſignari philologum, qui Valerii poema recenſuerit, aut poſſeſſorem Codicis, cujus nomen cum nomine poetae confuderit imperita manus librariorum.

2 Hoc quidam interpretantur e Setia, hodie *Sezza*, Campaniæ urbe, etſi alii, ut Bernardinus Scardeonius lib.

minor Marone, ſub Veſpaſiano floruit, paupereque ſorte uſus, admodum juvenis Patavii deceſſit, Quinctiliano ejus obitum lugente his verbis: *Multum in Valerio Flacco nuper amiſimus*, lib. 10, cap. 1 Inſtit. Orat. Deceſſiſſe videtur ſub Domitiano poſt annum C. 88. ut notatum clariſſimo Dodwello, in Annalibus Quinctilianeis. Quindecimviri ſacris faciundis munere functum, Nic. Heinſius. colligit ex his ejus verbis lib. 1, verſ. 5.

Phœbe, mone, ſi Cymææ mihi conſcia vatis
Stat caſta cortina domo —— ——

Scripſit quo tempore Fl. Veſpaſianus cum Domitiano ad urbem erat, Titus obſidebat Hieroſolymam.

—— *verſam proles tua pandat Idumen*,
(Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, & in omni turre furentem.

1 hiſtoriæ Patavinæ pag. 61 T. 6 theſauri Italiæ parte 3, & verius forte, malint fuiſſe Patavinum, qua in urbe etiam oſſa ejus condita eſſe memorant. Certe domicilio Patavinus fuit, ut notat etiam Sertorius Urſatus Monument. Patav. p. 180. unde *ſpes & alumnus Antenorei laris* vocatur Martiali lib. 1, Epigr. 77. confer. lib. 1 Epigr. 62. ubi Patavium *Apona tellus* dicitur, ab *Apono fonte, Antenorea vitam qui porrigit urbe*, ut ait Claudianus. Eſt & ad Flaccum Epigramma Martialis 49 libri IV. ad quod confer Voſſ. Inſtitutt. Poetic. lib. 3, c. 20, § 10. Porro Argonautica Flacci perſtringi a Juvenale Sat. 1, v. 10 ſq. notavit Parrhaſius Epiſt. 2. At *Varronis* Atacini Argonautica intelligit Statius II Silvar.

Cedet Muſa rudis ferocis Enni,
Et docti furor arduus Lucreti,
Et qui per freta duxit Argonautas.

Græcos Argonauticon ſcripto-

Argonautica.

Exſtant *Argonauticon ad Flavium Veſpaſianum libri ſeptem, & octavi pars*, carmine Heroico, quod Flaccus, *Apollonium Rhodium* imitatus, non invito Apolline ſcripſit, ſed per immatura fata abſolvere non potuit; certe integrum ad nos pervenire tempus non permiſit. Libros I, II, III, et partem quarti *Poggio Florentino* debemus, ut cognoſcere eſt e Codice Laurentii Pignorii, in quo hæc legi refert Voſſius pag. 550. de Hiſt. Lat. *C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum eſt in monaſterio S. Galli prope Conſtantiam XX millibus paſſuum, una cum parte Q. Aſconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum: nos, quod potuimus, egimus. Poggius Florentinus.* Hæc Voſſius ex Pignorii Antenore p. 80.

res retuli lib. III Biblioth. Græcæ cap. 21. Latini, præter Varronem & Flaccum ſunt *L. Accius*, cujus ſex verſus proferuntur a Priſciano de metris Comicis, & *Catullus* Epithalam. 65.

INDEX EDITIONUM C. VALERII FLACCI

FABRICIANO AUCTIOR ET IN ÆTATES IV DIGESTUS.

ÆTAS I *NATALIS* 1474 — 1519

per quam fere Bononienſes regnarunt. Prima quidem *Bononienſis*, quamvis de principatu adhuc certet cum *Florentina* I, pulchriores tamen genuit filias, Bononienſes quidem tres, a. 1494, & præſtantiorem 1498, & 1504 *Pii* primam; tum Venetam 1501. A Florentina I vero ortæ videntur *Juntina* I 1503, & II *Bened. Philologi* 1512, & III Jo. Barth. *Fontii* 1517, quem nimia licentia in mutando textu uſum eſſe ferunt. Bononienſem I ſecuta eſſe dicitur *Veneta* 1501, neſcio an etiam *Romana* ejuſdem anni. Juntinam, credo, *Pariſinæ*, *Badii* I & II, quæ poſterior ab Aug. *Maſerio* recognita & illuſtrata eſt, repetita 1519. Jo. Bapt. *Pius* ſuperavit omnes, novæque etiam ætatis princeps factus.

1474 *Editio princeps Bononienſis* I, fol. Valerii Flacci Argonautica. Bononiæ, per *Ugonem Rugerium* & *Doninum Bertochum Regienſes*, *die ſeptima Madii.* (Notandum eſt, menſem *Majum* in antiquis illis inſcriptionibus ſæpe vocari *Madium.*) Memoratur a Labbæo in Supplem. IX novæ Bibl. p. 351 ex regia bibliotheca, & a Maittario in Ann. typogr. T. I, p. 109. vid. & Hamberger in zuverlæſſige Nachrichten von den vornehmſten Schriftſtellern, T. II, p. 151. Hanc ed. paſſim laudant Pius & Maſerius in commentariis.

ſ. a. *Florentina* I, 4. apud *S. Jacobum de Ripoli.* Refertur a Maittario l. c. p. 377, & poſt eum a Burmanno in Præf. II. Sed priorne, an poſterior ſit Bononienſi 1474, dijudicare non licet. Signaturæ, quas vocant, in hujus libri editione apponuntur non infra, ſed ad exteriorem ultimæ lineæ marginem.

1494 *Bononienſis* II, fol. Memoratur ab Erneſtio in B. L. T. II, p. 252, qui repetitum hoc exemplum dicit ex Bononienſi 1474. Neque Maittarius, neque alius ullus ejus mentionem facit.

1498 *Bononienſis* III, fol. *C. Valerii Flacci poetæ elegantiſſimi Argonautica diligenter accurateque emendata & ſuo ni tori reddita in hoc volumine continentur.* In fine: *Expl cit hoc opus C. Valerii Setini Bononiæ impreſſum per Benedictum Hectoreum Bibliopolam anno Dei* CIↃCCCCXCVIII *d. XII Aprilis. Jo. Bentivolo urbem feliciter illuſtrante.* Vid. Maittarii Ann. typ. T. I. p. 354, & Hamberger l. c. p. 152. Repetitio ed. 1474, teſte Erneſtio, qui T. II, p. 255 Bibl. Lat.: „ Habeo exemplum editionis Bononienſis 1498 cum variis lectionibus manu veterrima adſcriptis, in his etiam verſibus aliquot, quae in edd. pr. non ſunt, ſed & ab aliis infertis e manuſcriptis libris. Putavi eſſe e Codice Farneſiano, ſed lectiones cum nulla editione vetere omnes conſentiunt, ut e libro ſcripto ductæ eſſe videantur. Sed dum eas comparo cum editione Burmanni, reperi ed. Bononienſem non ſatis diligenter conſultam eſſe ab Heinſio & Burmanno: nam interdum ejus auctoritate poterant uti ad lectiones firmandas, quæ ipſis placebant. „ Diligenter uſus eſt hoc exemplo in adornanda ſua ed. clar. Harleſius.

1501 *Venetiis*, 4. *per Chriſtoforum de Penſis de Mandello.* & ipſa, ut putatur, mera repetitio textus primi. Laudatur paſſim a commentatoribus priſcis, ut & a Carrione & Zinzerlingio, quem vid. ad lib. I, 41. Exſtat in Bibl. publ. Francof. ad M.

——— *Romæ*, 4. cum titulo Gothicis literis exarato. Viſa Vulpiis, teſte eorum editione p. XL.

1503 *Florentina* II, 8. ſumtu Phil. *Juntæ* I. cf. Maittarii Ann. typ. T. II, p. 165.

1504 *Bononienſis* IV, Jo. Bapt. *Pii* Adnotationes priores & poſteriores in Val. Flaccum. — Hæ adnotationes a Badio Aſcenſio deinde inter alias virorum doctorum adnotationes editæ 1511, & poſtea a Grutero in T. I Facis Criticæ conjectæ leguntur. cf. Burmanni Præf. II ad Val. Flacc.

1511 *Pariſina* I, per *Jod. Badium Aſcenſium* & *Johannem Parvum.* Hanc eam eſſe, quàm *Pariſienſis* nomine paſſim citat Maſerius, credit Burmannus. vid. ejus Præf.

1512 *Florentina* III, 8. ap. Phil. *Juntam* II. in Biblioth. ſelectiſſima Jo. Samuelis Engel, cujus vide Catal. Bernæ editum 1743, p. 52, voc. *Flaccus.*

1517 *Florentina* IV, 8. C. Valerii Flacci Argonauticon libri VIII, ſumtu *Phil. Juntæ* III. vid. Cat. Bibl. Bunav. T. I, p. 351. Hanc editionem curavit *Barth. Fontius*, qui licentius in textu verſatus eſt. Plurima enim ſine ulla Codicum ſcriptorum auctoritate, certe nulla reddita ratione, mutavit, & conjecturas ſuas lectori imprudenti obtruſit. cf. Burmanni Præf. II.

—— *Pariſiis*, fol. *typis Jod. Badii Aſcenſii.* Valerii Flacci Argonauticon libri VIII, ab *Æg. Maſerio* recogniti & ſcholiis illuſtrati. vid. Cat. de la Bibl. du R. Bell. Lettr. T. I, p. 317. Refert & Maittarius T. II. Ann. typ. p. 306. Præter Maſerii commentarium continet & Sabellici notulas, ſed non integras, & vitioſiſſime habitas, adnotante Burmanno.

1519 Eadem ibidem ap. eoſdem, nonniſi mutato titulo.

ÆTAS II 1519 — 1565

auctore Jo. Bapt. *Pio*, qui cum jam a. 1504 adnotationes ſuas in Valerium Fl. edidiſſet, nunc etiam eundem ex antiquo exemplari MS. emendavit, & de ſuo tres libros ſupplementi inſtar addidit. Succeſſit *Aldina* 1523, quæ infinitis locis a prioribus diſcedit, non tam MS. antiqui, quo uſum ſe profitetur, auctoritate, quam curatoris ingenio fidenti ſubnixa. *Maſerii* editionem, quæ ætatis I ultima eſt, cum faſtu adhibuit Laur. *Balbus* in Complutenſi 1524, ſed Pium

ſecutæ Argentor. *Phil. Engentini* 1525, Pariſienſis nitidior *Colinæi*, Lugdunenſes S. *Gryphii* 1545 & 1548.

1519 *Bononienſis* V, fol. *Pii* II. *C. Valerii Flacci commentarii J. Bapt. Pio Bononienſi auctore. Cum codicis poetæ emendatione, ex antiquo exemplari Dacico, additis libris tribus, qui deſiderabantur, & Orpheo Latino.* Ad calcem: *Finis commentarii in Valerium Flaccum, & in Apollonii quartum Argonauticon, a Pio Bononienſi Latinitate donatum. Excuſſore Hieronymo Platonico. Bonon. Leone X ſedente. MDXIX. Cal. Majis.* Pius uſus eſt MS. antiquiſſimo Dacico, e bibliotheca Matthiæ Corvini, qui Thaddæi Ugoleti fuerat. Etiam aliis libris uſum eſſe, ſunt qui dicant. in libro quidem ipſo ſolus ille commemoratur. Additus eſt & L. IV Apollonii Rhodii ab ipſo verſus cum Comm. & Supplementum L. VIII, itemque L. IX & X, de ſuo. — Editio rariſſima, ſed operarum vitiis nimium deformata. cf. Burmanni Præf.

1523 *Aldina*, 8. C. Valerii Flacci Argonautica; Joh. Bapt. Pii carmen ex quarto Argonauticon Apollonii; Orphei Argonautica, innominato interprete. *Venetiis*, in æd. Aldi & Andreæ Aſulani, menſe Majo. vid. Cat. Bibl. Bunav. T. I, vol. I, p. 351. & Hamberger l. c. p. 153. Infinitis locis hæc Aldina a lectione editionum priorum diſcedit, ſed non indicato mutationum fonte. Curator ejus (quiſnam fuerit ignoratur) ſe uſum quidem MS. antiquo profitetur; ſed ita in textu mutando indulſit ingenio, ut Jo. Fr. Gronovius Obſ. I, 15 dicat, eum omnia ſtolidæ audaciæ exempla ſuperaſſe: de quo & Heinſius queritur.

1524 *Compluti.* — cum notis *Laurentii Balbi Lilienſis.* Editio rariſſima, Fabricio præterita. Uſus eſt ea Burmannus, cujus de ea judicium adſcribere placet: „ Notæ Balbi verboſæ admodum, & ſæpe nihil, quod notari mereatur, continent, & faſtu quodam, genti, ex qua oriundus erat, familiari, ſemper fere aliorum interpretum, Maſerii præſertim, dicta refutat. præter Maſerii vero & Juntæ editionem nullam adhibuiſſe videtur. Hæ notæ poſtea in editionem Genevenſem 1617 ſunt conjectæ, licet fraude qua-

dam, typographis avaris non inuſitata, in titulo dicantur *tunc primum editæ.* „

1525 *Argentorati*, 8. C. Valerii Flacci Argonautica, emendata & ad vetuſtiſſima exemplaria recognita per *Philippum Engentinum.* — Engentinus etſi jactet in titulo, ſe emendaſſe ad antiqua exemplaria, Pii textum fere repetiit, neque modo in poetæ verbis ubique eum expreſſit, haud vitatis ipſis operarum vitiis, quæ in editione Pii occurrunt, ſed ſæpe etiam ejus correctiones in ſuam admiſit. Cujus rei exempla quædam profert Burmannus in Præf. Ceterum nihil adjecit notarum, ſed ſingulis libris argumenta carmine hexametro præpoſuit.

1532 *Pariſiis*, 8. apud Sim. *Colinæum.* Ex editione Engentini nitidiſſime expreſſa.

1545 *Lugduni*, 12. apud Sebaſt. *Gryphium.* Repetitio ejuſdem Engentinæ, teſte Burmanno.

1548 Eadem ibidem apud eundem, quæ tamen an diverſa ſit a ſuperiori, an mutato tantum titulo eadem ſit utraque, Burmannus non definit. Adjuncta habet, Pii carmen ex quarto Argonauticon Apollonii, & Orphei Argonautica, innominato interprete.

ÆTAS III *CARRIONIS*

1565 — 1680.

Princeps quidem hujus ætatis, MSto antiquæ bonitatis uſus, ſemel iterumque Valerium emendatiorem edidit, quamvis in eo audacior plus juſto videatur Criticis, qui non ſuum, ſed aliorum ſpiritum certis finibus contineri volunt. Comites ſe ipſi præbuerunt 1612 & 1617, Andr. *Schottus*, Juſtus *Zinzerling*, & 1630 Lambertus *Alard*, Guilielmiades, qui ſuo Commentario etiam Chph. *Bulæi* & Jo. *Weitzii* Obſſ. in Valerium adjunxit.

1565 *Antwerpiæ*, 8. apud Chriſtoph. *Plantinum*, ex emendatione Ludov. *Carrionis.* Uſus eſt is MS. egregio, cujus tamen bonitate nimium fretus, non ſatis ſibi cavit a mendis, quibus inquinatus erat, & ideo male audiit ob audaciam in mutandis locis. Plura

de hac editione vid. apud Heinſium & Burmannum in Præff.

1566 *ibidem*, ap. eundem, 16. C. Valerii Flacci Argonauticon libri VIII, locis innumerabilibus antea a Lud. *Carrione* ex vetuſtiſſimo exemplari emendati, nunc vero ita ab eodem perpurgati, ut jam primum editi videri poſſint. — Multa denuo mutavit in hac editione Carrio, & novas caſtigationes adjecit, in quibus Giſanium paſſim inclementer excipit. Promittit vero in hac ed. poſteriori majorem commentarium, ſed qui lucem non vidit.

1604 *Lugduni*, 12.

1612 *Rothomagi*, 12. cum præfatione Anonymi, qui his notis nomen ſuum texit: A. S. I. V. D. inſcripſit vero *Spiritin Allemandi Caſtelli novi Domino*, *& in ſuprema Arauſiaca Curia Præſidi.* Is Carrionis veſtigia ſe premere profitetur, & margini ejus conjecturas & varias lectiones, non raro ſuis additis, adleviſſe jactat. An lateat ſub his notis *Andreas Schottus*, Burmannus in dubio relinquit; quem vid. in Præf.

1615 *Hanoviæ*, 4. Andr. Schottus Obſſ. human. Lib. II, c. LIV, LVI & LVII, librum I Valerii Flacci exponit, & c. XXXIX librum I & IV; c. XXXVII locum e libro VI Flacci.

1617 *Coloniæ Allobrogum*, 8. apud Eſaiam le Preux, cum notis Carrionis, Laur. Balbi, & Andreæ *Schotti*. — Notæ Schotti breviſſimæ, & omnia fere jam in libros obſervationum ab eo collata erant. Hæc vero editio novo titulo, qui annum 1689 & Pariſienſem typographum mentitur, etiam obtruditur, ſed in qua nihil, niſi indicem, mutatum lector reperiet.

——— *Lugduni*, 12. cum Carrionis & Juſti *Zinzerlingii* notis. — Editio rariſſima. Notas Zinzerlingii feſtinante manu conſcriptas eſſe, Burmannus judicat, inſeruit tamen ipſe ſuæ editioni ob earum raritatem.

1630 *Lipſiæ*, 8. ſumtibus hæredum Henningi Groſii jun. C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonauticon libri IIX. Lamp. Alardus Guilielmiades perpetuo commentario illuſtravit, Carrionis errores detexit, & ad Apollonii Rhodii aliorumque Argonautica contulit. Acceſſit opera ejuſdem copioſiſſimus rerum & verbo-

rum, quæ in Valerio extant, Index. Opus plane novum & antehac vix ſperatum, omnibus politioris literaturæ ſtudioſis apprime utile. Lipſiæ. Excudebat Jo. Alb. Minzelius. — Præter Alardi commentarium in Argonautica, hæc editio continet Lud. Carrionis caſtigationes, Chriſtoph. *Bulæi* ſchediaſmata, Jo. *Weitzii* collectanea, obſervationes & notas in Valerium; & in fronte libri Antonii Sabellici variantes lectiones. Siniſtrum de Alardi opera judicium Barthii vid. ad Statium T. III, p. 1256. Jani Bruckhuſii, ad Propertium p. 108. Petr. Burmanni, qui tamen ab indignatione contra Alardum nimium ſe abripi paſſus eſt, in Præf. ad Flaccum. Cum Lamp. Alardus hunc poetam a ſe illuſtratum ederet, natus annos fuit non plus quam XXVII; unde laude fortaſſe digna ejus induſtria, non quod non omni parte ſatisfecit eruditis, reprehendendus: niſi audacia contra notanda hominis mediocriter docti, & tamen hunc talem poetam conantis tractare.

ÆTAS IV *HEINSIO BURMANNIANA*

1680 — 1786.

N. *Heinſius* poetam ex codd. ſcriptis caſtigatum & pro ſuo ingenio ad poetas corrigendos nato factoque emendatiorem dedit 1680. Notas vero ab eo curis ſecundis ſcriptas primus protulit Petrus *Burmannus* in edit. II 1701, aliquoties repetita, etiam a Jo. Vulpio Patavii 1720. Has dein cum ſuis & ſuperiorum editorum vel integris vel ſelectis conjunxit in ed. majori 1724. Ex hac partim contractiorem, partim nova collatione ed. 1498 & 1565 & excerptarum lectionum accuratiorem fecit Theoph. Chph. *Harleſius* Altenburgi 1781. Atque horum triumvirorum lectionis Valerii conſtituendæ curam ſecuti, Valerium damus, etiam ex noſtro ſenſu ad ſtudia juvenum accommodatiorem.

1680 *Amſtelodami*, 12. ex recenſione Nic. *Heinſii*, & ſine notis. Quæ editio quidem priores multum ſuperat, quod verba poetæ emendatiora exhibet, ſed

tamen negligentiæ operarum manifeſta ſæpe veſtigia oſtendit. Uſus eſt Heinſius codicibus ſcriptis ad caſtigandum textum, notaſque erat additurus, olim ab eo jam conſcriptas: quibus furto ipſi ſubreptis, cum ſecundas curas jam adornaſſet, verbis poetæ, quæ excudebat Plumerus bibliopola, addendas, morte illius ipſa editio interrupta eſt, eique per H. Wetſtenium ſuprema manus impoſita, & ſine adnotatis emiſſa. Prodierunt tandem hæ notæ in editione ſecunda Trajectina 1701, curante Petr. Burmanno.

1689 *Pariſiis*, 8. vid. ad an. 1617.

1701 *Trajecti ad Rhen.* 12. ex recenſione Nic. *Heinſii*, cum ejuſdem notis, curante Petr. Burmanno. vid. ad an. 1680. De hac ed. cf. Acta Erud. 1702 p. 269. Eadem ed. renovata tantum priori pagina, mentitur etiam annum 1720, adnotante Burmanno in Præf.

1718 Eadem repetita ibid. teſtibus Erneſtio in Bibl. Lat. T. II, p. 254, & Hambergero l. c. p. 154.

1720 *Patavii*, 8. C. Valerii Flacci Setini Balbi Patavini Argonauticon libri VIII, ex recenſione Nic. *Heinſii* Dan. F. & Petr. *Burmanni* V. C. Patavii, excudebat Joſ. Cominus, ſuperiorum permiſſu. — Huic editioni præfuit Jo. Ant. *Vulpius*, qui Indicem adjecit verborum & phraſium aliquot inſigniorum, quæ in Valerio Flacco occurrunt, cum eorundem explicatione.

1724 Trajectina *Heinſii*, 12. cum Præf. P. Burmanni. repetitio elegantior ed. 1701 vel 1718.

——— *Leidæ*, 4. ap. Sam. Luchtmans. C. Valerii Flacci Argonauticon libri octo, cum notis integris Lud. Carrionis, Laur. Balbi Lilienſis, Juſti Zinzerlingi, Chriſtoph. Bulæi, Gerh. Voſſii & Nic. Heinſii, & ſelectis Ægidii Maſerii, Jo. Bapt. Pii, Jo. Weitzii, & aliorum, curante *Petro Burmanno*, qui & ſuas adnotationes adjecit. — Burmannus præter edd. veteres Codd. ſcriptis tribus uſus eſt ad textum conſtituendum. Textui præmiſſæ ſunt præfationes edd. priorum, & ipſius longa & erudita de ſuperioribus editoribus & interpretibus. Has excipit Catalogus Argonautarum ex Argonauticis & aliis ſcriptoribus di-

ligentiſſime digeſtus, cum hiſtoria Argonauticæ expeditionis a Laur. Balbo Lilienſi e variis ſcriptoribus excerpta. Notæ eruditiſſimæ vel rationem reddunt lectionis, vel difficiliora poetæ loca illuſtrant. Acceſſere etiam Supplementa Pii, & Orphei Argonautica Latine, cum Indice verborum copioſiſſimo.

1781 *Altenburgi*, 8. ex officina Richteria. C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonauticon libri octo, cum notis Petri Burmanni I integris, & ſelectis Lud. Carrionis, Ægid. Maſerii, Laur. Balbi Lilienſis, Juſti Zinzerlingii, Chriſtoph. Bulæi, Nic. Heinſii & aliorum. Recenſuit ſuaſque adnotationes adjecit *Theoph. Chriſtoph. Harles.* — Is inſtructus editione Bononienſi 1498 cum lectionibus variis ex Codice vetere excerptis, quæ olim fuerat clar. Erneſtii, præterea editione Carrionis Antverpienſi 1565, & exemplari Burmanniano, cujus oræ conjecturas quaſdam ſuas addiderat clar. Cortius, ad recenſendum denuo Flaccum acceſſit, in eoque ita eſt verſatus, ut textum frequentius in poſterioribus libris, quam in duobus prioribus, ex apparatu ſuo diligenter emendaret. Variorum notis ſubinde & ſuas adſperſit. Supplementum Valerii Flacci a Pio concinnatum, item interpretationem Latinam Orphei Argonauticon, atque ſuperiorum editionum dedicationes & præfationes, præter utramque Burmannianam, omiſit, & Indicem verborum contraxit, ne libri mole pretioque poetæ cupidi ab emtione & lectione deterrerentur.

Nos quidem exemplar Heinſio — Burmannianum expreſſimus, ita tamen, ut lectiones præſtantiores editionis Bononienſis, vel neglectas a Burmanno, vel margini illius ex MSto adſcriptas, poſt Harleſium, in textum reciperemus. Textui præmiſimus Catalogum Argonautarum, a Burmanno rectius digeſtum & auctum, cum hiſtoria expeditionis Argonauticæ, a Laurentio Balbo Lilienſi conſcripta. Sub-

junximus tandem Indicem verborum & phraſium inſigniorum in Valerio, curis noſtris auctiorem Vulpiano, qui brevior videbatur, quam rationes ſtudioſæ juventutis poſtularent.

Fuerunt etiam alii viri docti, qui novas editiones inſtituere, vel annotationes aut commentarios: ut *Mich. Piccartus*, qui Codice Erfurtenſi adjutus novam editionem cum commentario molitus eſt, ut ipſe dicit in præfat. Periculorum Criticorum: in quibus ipſis plura Valerii loca tentat. *Barthius* notis ad Guilelmum Britonem XI, 366 ſe molitum novum Commentarium ait. *Jani Parrhaſii* Commentarius ineditus eſt Neapoli, ubi ſe vidiſſe narrat Montefalconius Diar. Ital. pag. 306 Codicem ſcriptum Valerii in *Joſ. Vallettæ* Bibliotheca. *Ratbodi Hermanni Schelii* Emendationes deſiderat Nicolaus Heinſius (in Syllog. Epp. Burmann. T. II, p. 811.) *Iſaacus Voſſius* promiſit, ſe fratris *Gerhardi Voſſii* notas editurum, ad Melam pag. 12. Etiam *Egnatium* in Valerio expoliendo laboraſſe reperimus, & *Joannes Ulricus Meurerus* Corpus ſcriptorum Argonaut. & in eo Flacci recenſionem promiſit. — Plura etiam loca tractavit *Joannes Fridericus Gronovius* in Obſerv. libris, & vir doctus in Miſc. Dorvillianis Vol. IV, Tom. II, pag. 157 — 192. qui & e libris ſex prioribus loca plura attulit, in quibus Homerum imitatus eſt poeta.

CATALOGUS ARGONAUTARUM EX ARGONAUTICIS ET ALIIS SCRIPTORIBUS COLLECTUS.

ACASTUS. Peliæ, regis Theſſaliæ, filius ex Anaxibia (ſive, ut alii, teſte Apollodor. lib. I, p. 36, Philomache) Biantis filia. Qui Bias eſt Amythaonis filius, ille autem Crethei, hic vero Æoli, ex quo & Pelias deſcendebat: filius enim Tyrus, filiæ Salmonei, (qui Crethei frater & Æoli filius erat, licet Diodorus Siculus lib. IV, p. 188 faciat filium Hellenis, Æoli nepotem) & Neptuni erat, frater uterinus Æſonis, qui ex eadem Tyro & Cretheo erat natus. Ab Etymologici M. auctore dicitur πατὴρ Ἀλκήστιδος, cum fuerit ejus frater, niſi locus ſit corruptus, & legendum, Ἄκαστος υἱὸς Πελίου, πατρός τε Ἀλκήστιδος. Nam id ipſe locus Euripidis, quem adducit auctor ex Alceſtide verſ. 732, indicat, ubi ἀδελφὴ dicitur, & Scholiaſtes confirmat. Hic inter Argonautas refertur ab Apollonio Rhodio lib. I, 224, Hygino fab. XIV, & noſtro poeta: omittitur vero ab Apollodoro & Orpheo. Poeta noſter lib. I, verſ. 163, & 484, eum a Jaſone perſuaſum, inſcio patre Pelia, addidiſſe ſe Argonautis, cum jam ſolverent navem, narrat, & fuiſſe primæ ætatis juvenem, qui duce Jaſone *primos virtutis honores carpere* ardebat. Adſcribit tamen eum venatoribus apri Calydonii, ſimul cum Meleagro Ovid. VIII Met. 306; ubi *jaculo inſignis Acaſtus* dicitur, quam tamen venationem priorem fuiſſe hac expeditione, multi ſtatuunt. ſed pares in fabulis anachroniſmos in hoc Catalogo videbimus: & huic ſimilem infra in Peleo. ſed venatus ille apri revera poſterior fuit: nam in illo perierunt quidam Argonautæ, ut Ancæus, Eurytion, & alii. Redux ab hac expeditione dicitur duxiſſe *Hippolyten*, Hippolyti filiam, quæ ab aliis *Cretheis* dicitur. vid. Pindar. Od. Nem. IV, 92, & ibi Scholiaſt. ſed hoc ultimum Patronymicum eſt; nam Od. Nem. V, 49

Κρηθηὶς Ἱππολύτα dicitur. Hanc *Magneſſam Hippolyten* vocat Horat. III od. 7; ubi interpretes quidam ex Scholiaſte Pindari eam proprio nomine *Cretheida*, ſed a patre *Hippolytam* dictam notant, ab Apollodoro etiam *Aſtydamiam*, a Suida *Atalantam*: Gallicus interpres etiam *Polydamiam* dictam a quibuſdam ſcribit, quod unde habeat, vellem adſcripſiſſet. *Aſtydamiam* vocat certe Apollodorus, ut in Peleo videbimus. *Atalantam* vero vocat certe Suidas, ſed perperam: nam in fragmento Nic. Damaſceni, quod legitur in excerptis Peireſcianis, nomen hoc non legitur. ſed ſimpliciter incipit, ὅτι ἡ Ἀκάστου γυνὴ &c. ſine nomine proprio. quare nos ſtatuimus proprio nomine vocatam *Hippolyten*; ſed *Cretheida* dictam, quia ex Cretheo deſcendebat. ſed quis pater eius Hippolytus fuerit, neſcimus: inter Crethei enim poſteros neminem eo nomine reperimus, nec Jaſonis fratres uſquam reperi, cum unicus fuerit Æſonis filius, ſublato altero in prima ætate a Pelia, vel ejus miniſtris, filio; vide noſtrum lib. I, v. 823; quem *Promachum* vocatum conſtat. ſed invenimus, Jaſona habuiſſe ſororem *Hippolyten*, apud Schol. Apollon. I, 286; quæ forte fuit hæc Acaſti uxor, & inde jure *Cretheis* poteſt dici, quia Æſonis filia, & Crethei neptis fuit. Porphyrion vero ad Horatii d. l. dicit hanc *Hippolyten* tradi nuptam fuiſſe *Eurypylo*. ubi, quem *Eurypylum* intelligat, neſcio, cum diverſos fuiſſe viderimus ad Ovid. VII Met. 363, & XIII, 357. certe ante Acaſti nuptias *Eurypylo* nupſiſſe debuit, cum ſimul cum Acaſto fuerit a Peleo occiſa, ut infra in Peleo videbimus. Maſerius uxorem Acaſti notat a Suida *Atalanten* dici, filiam Hippolytes, quod ultimum ego in Suida non vidi. forte error Suidæ inde natus, vel verba prima turbata, quod *Aſtydamia*, uxor Acaſti, inciderit in amorem Pelei, dum cum *Atalanta* in ludis Peliæ decertat, ut Apollodor. lib. III, cap. XIII, §. 3. Ex Acaſto nata fuit *Laodamia*, Proteſilai uxor, ut tradit Hyginus fab. 103 & 104. & hinc *Laodamia* apud Ovid. XIII, Epiſt. 25.

Vix ſocer Iphiclus, vix me grandævus Acaſtus,
Vix mater gelida mœſta refecit aqua.

ubi dubitari poteſt, an noſter *Acaſtus* intelligendus, qui ad belli Trojani tempora perveniſſe non videtur, ut jam recte notavit Antonius Volſcus; ſed non oſtendit tamen, qui ille *Acaſtus* fuerit, ſed in eam ſententiam veniſſe vide-

tur, quia matrem Laodamiæ, non *Hippolyten* vel *Aſtydamiam*, ſed *Laodotheam* dictam reperit: quam unde petierit, non indicavit: forte ex adſcriptis codici ſuo gloſſis vel ſcholiis, ex quibus primi illi poetarum interpretes, ut Domitius, Raphael Regius, & alii, ſæpe bonam notarum ſuarum partem deſcripſere. Certe & *Acaſtus* hic, & *Laodothea* mihi incogniti ſunt. ſed ſi alius fuerit, etiam Theſſalum fuiſſe *Acaſtum* illum credo, ut & erat Proteſilaus. quoſdam tamen credidiſſe, *Acaſtum* ad Trojani belli tempora ſupervixiſſe, & a Peleo, qui ejus uxorem occidit, expulſum regno, deinde iterum illud recuperaſſe, ejecto iterum Peleo, ex Euripide Troad. 1126 patet, qui ideo Neoptolemum ſive Pyrrhum, Achillis filium, properaſſe reditum verſus Phthium refert, quia audiverat, *Acaſtum* pepuliſſe regno avum Pelea: quæ non cepit nuperus editor Barneſius, & contraria Euripidem aliis tradere credidit. Hic etiam *Acaſtus* patris Peliæ in honorem inſtituit ludos funebres & agonem, quos ſæpe a pictoribus & artificibus expreſſos memorat Pauſan. ut lib. III, 18, v. 17. VI, 20. hos Argivos vocat Hygin. fab. 273; in iiſque, qui vicerunt, enumerat plurimos Argonautas. vide in *Calai*. ipſius etiam *Acaſti* imaginem, præter Argonautas reliquos, maxima cura pinxit Micon, & ejus equos, teſte eodem lib. I, 18. de morte Acaſti nihil certi reperi: nam quod Morerius eum a Peleo occiſum narret, citetque eam in rem Supplementi auctor Apollodori librum III, ibi nihil de ejus morte legitur.

ACTOR. hoc nomine plurimi in mythico ſeculo Heroes memorantur, quos hic enumerare nihil attinet. quoſdam recenſuit Barthius ad Statii lib. VIII Theb. 152, & Mezeriacus ad Epiſtol. Ovidii primam p. 38. Hic vero, qui ab Hygino & Apollonio annumeratur Argonautis, ab aliis omiſſus, dicitur fuiſſe *Hippaſi* filius, & Peloponneſius: duo vero *Hippaſi* memorantur ab Ovidio. Unus inter ſocios Meleagri in venatione apri Calydonii lib. VIII Met. 313; qui ab Hygino fab. 173 dicitur Euryti filius. Alter inter Centauros lib. XII Metam. 352; in qua pugna Centaurorum & Lapitharum etiam memoratur Eurytus, omnium Centaurorum ſæviſſimus, ab eodem poeta verſ. 220. Potuit ergo uterque ille *Hippaſus* unus & idem fuiſſe, qui cum patre ſimul contra Lapithas pugnaverit, & ſolus contra aprum abiit: utraque enim illa expeditio juvene Neſtore contigit. ſed cum

nihil hic certi videam, nihil quoque affirmo. memoratur & *Hippaſus* inter filios Pelopis a Schol. Eurip. Oreſt. 5. & ita recte Peloponnenſius eſſet. vide infr. in *Iphito*. Sed alius ſcrupulus injicitur ex eo, quod Augeæ frater dicatur hic *Actor* Apollodor. lib. II, pag. 112; Augeas vero filius Ἡλίου, quod imperite interpres reddidit, *filius Helii*, apud eundem lib. I, p. 42; cum vertendum ſit *filius Solis*: ut recte Allatius in Anonymo de XII laboribus Herculis cap. 5, pag. 329; ubi Græce, Παῖς Ἡλίου, & ab Apollon. Rh. I, 172 Ἠελίοιο; ubi Scholiaſtes notat, eum quidem vulgo dictum fuiſſe Solis filium, ſed revera fuiſſe Phorbantis ex Hyrmine, Melei filia. & Pauſan. lib. V, 1 dicit, male quoſdam eum Ἠλείου, *Eli* filium facere, cum fuerit Ἡλίου, *Solis*. ubi etiam *Actora* indigenam facit Elidis, & filium Phorbantis. ſi ergo frater Actoris *Augeas* fuit, Actor etiam filius Phorbantis debuit eſſe; ſed Phorbantes etiam diverſi memorantur a Mythologis. Hic vero Phorbas Olenius fuiſſe videtur: nam Euſtathius ad Homer. Iliad. 614 dicit, Phorbanta ex Hyrmine (quam Schol. Apoll. Nelei filiam facere modo vidimus) Alectoris ſorore & Epei filia ſuſcepiſſe Augeam & *Actora*, & ex *Actore* natos Cteatum & Eurytum. Phorbantis etiam filium facit Hyginus, ut in eo videbimus. Phorbanta vero origine fuiſſe Lapithæ filium & Orſinomes, & conceſſiſſe Olenum, & ab Alectore Elidis rege in conſortium regni aſcitum, memorat Diodor. Sic. lib. IV, pag. 189; & hujus meminit Ovidius in Lapitharum pugna lib. XII Met. 322. poſtea tranſiit in Rhodum, ubi, inſulâ a ſerpentibus purgata, poſtea ἔσχε Ἡρωϊκὰς τιμὰς, teſte eodem Diodoro pag. 228; ubi aperte Lapithæ filius, & in Theſſalia moratus, ſedes quæſiviſſe certas, ubi conſideret, dicitur. ſed Meurſius de Rhodo lib. I, cap. V, de hac hiſtoria agens, illa verba ex Dionyſii teſtimonio omittit, & Triopæ filium fuiſſe ſtatuit, ex Hygini Poetico Aſtronomico; & eum Carem facit: unde apparet, veteres confudiſſe plures Phorbantas. Nam & Triopes plures fuerunt, & inter eos etiam Theſſalus, ut & Phorbas erat; nam Perrhæborum tyrannus fuit. vid. Berkel. ad Steph. de Urb. in Μέροψ. & Triopas inter filios Solis a Scholiaſte Pindar. Olym. VII, 131, & a Tzetze Chil. IV, 137, pag. 65 memoratur, ut & noſter *Actor* ex Sole progenitus videatur. & ita ille cum Phorbante eandem originem habuit. Quidquid in his am-

bagibus fabularum ſtatuendum ſit, mihi certum eſt, Apollodorum & Hyginum, qui ſoli *Actora* referunt inter Argonautas, illum confudiſſe cum *Actore* Centauro, *Hippaſi* filio: quos utroſque noſter poeta memorat lib. I, 146 & 148. quamvis inde certi nihil poſſit effici, an Actor fuerit Lapitha, an Centaurus, veroſimilius tamen Lapitham fuiſſe puto, quia Clanis Centaurus eum interfecit. jam etiam Sthenelus, de quo Valer. Flac. lib. V, 90, Actorides dicitur ab Apollonio II, 913; ſed qui diverſus ab illo, qui ab Euſtath. ad Dionyſ. Alex. 484 Cometæ filius dicitur. de quo infra in *Aſterione* videbimus.

ACTORIDES. hunc quoque aliqui in Catalogum Argonautarum retulerunt, & in editione Carrionis ex Orpheo memoratur. certe Orpheo lib. I, verſ. 136 *Actorides* cum Corono memoratur. Valerius quoque lib. I, 407 canit:

Linquit & Actorides natum Chironis in antro.

Sed de Valerio parum laborandum: ille enim ſine dubio ibi *Menœtium*, Actoris filium, intelligit, qui filium Patroclum Chironi commendat per abſentiam ſuam educandum & erudiendum: nam ſub eo magiſtro eum creviſſe, etiam tradit Statius I Achil. 174; & *Actorides* dicitur etiam ipſe Patroclus ab avo ſuo Ovidio XIII Met. 273, & ex Pont. IV, 22. ſed de eo infra in *Menœtio* agendum erit. ſed major labor in Orpheo, qui certe *Actoriden* diverſum facit a *Menœtio:* cum enim eum recenſuiſſet cum Corono verſ. 136, deinde dicit *Menœtium* etiam acceſſiſſe Argonautis ex Opoente. ita ut ille animo ſuo diverſum a Menœtio *Actoriden* conceperit; niſi memoria lapſum fuiſſe ſtatuamus. *Actoris* vero, de quo modo egimus, nulli filii occurrunt, niſi Cteatus & Eurytus, quos omnes fere Mythologi agnoſcunt. vid. Apollod. II, cap. VII, § 2; & Ovid. VIII, 387; & qui *Molionidæ* etiam dicti. vide Periz. ad Ælian. IV, 5, & Schol. Pindar. X Olym. 30; ſed eorum neuter huic militiæ nomen dedit. præter hos etiam Actoris filium vidimus modo *Sthenelum*, ſed ille jam occiderat ante hanc expeditionem. Eurytion etiam, Menœtii frater, Actoris fuit filius Schol. Apoll. I, 71; ſed ille etiam ſeorſim Valerio memoratur I, 378, & de eo poſtea agemus. quare apud Orphea non patronymica forma *Actorides* capiendus, ſed ut nomen proprium; quem unde habuerit, nos ignoramus. ſimile nomen mox occurret, *Æthalides.*

ACTORION. hunc in Catalogum refert Carrion ex Orpheo, qui verſ. 177:

Ἤλυθε δ' Ἀκτορίων Ἴλου παῖς Ἀκτορίωνος.

ubi Eſchenbachius recte quidem emendavit *Ἴρου παῖς*, nam Actoris filii erant Menœtius & Irus. unde apparet, *Ἀκτορίων* eſſe patronymicum, & idem eſſe, quod *Ἀκτορίδης.* ſed non animadvertit, inconcinne dici, *Actoriona* eſſe filium *Actorionis:* quaſi luderet poeta in duplici vocis ejus uſu, ut primo loco eſſet nomen proprium, altero eſſet patronymicum. Illuſtr. Spanhemius ad Callim. in Cerer. verſ. 78, ubi memoratur Polyxo, mater Actorionis, hunc Argonautam intelligi credit, quem tamen ab Hygino & Apollonio non Iri filium, ſed Hippaſi dici putat: confundens *Actoriona* cum Actore, de quo egimus. Verum ego puto locum Orphei corruptum, & quia ille inter Argonautas non memorat *Eurytiona*, quem alii recenſent, legendum puto,

Ἤλυθε δ' Εὐρυτίων Ἴρου παῖς Ἀκτορίωνος.

nam *Eurytion* erat Iri filius, ille vero Actoris, frater Menœtii. vid. Schol. Apollon. I, 72, & infr. in *Eurytione.* Græcos vero patronymica ita flectere notum eſt. & ita Tzetz. Chiliad. V, p. 79, Cteatum & Eurytum, Actoris filios, vocat *Ἀκτορίωνας*; & Homerus Eurytum *Actorionem* vocat Il. B. 621.

ADMETUS. memoratus Apollonio, Valerio Flacco, Hygino, Apollodoro, Orpheo, & Statio V Thebaid. 435. Rex Pheretis notiſſimus, & qui Jaſoni conjunctus ſanguinis vinculo ex Cretheidis erat. filius enim Pheretis, & nepos Crethei, ita ut eſſet patruelis Jaſonis. Æſon enim & Pheres fratres. vide Pindari Pyth. IV, p. 224. mater ejus *Periclymene* dicitur ab Hygino, Minyæ filia, (ut recte correxerunt viri docti) ex Theſſalia monte Chalcedonio. Ita etiam vocat Tzetz. Chiliad. II, 53. ſed Micyllus eam *Clymenen* vocandam eſſe voluit: de qua in Jaſone videbimus, & Iphiclo. duxit uxorem *Alceſtida*, Peliæ filiam, Acaſti ſororem, quæ nota pietate, pro viro obiit voluntariam mortem, ut patet ex omnibus Mythologis, & Alceſtide fabula Euripidis. vide Barth. ad Stat. VI Thebaid. 332. Hyginus vero fabula CCLVI ipſi dat Theonoen, Theſtoris filiam. plura de *Admeto* vide apud Mezeriacum ad Ovid. Epiſt. Œnones p. 449, ſed quæ Argonauticam expeditionem non ſpectant.

ÆTHALIDES. nomen proprium, licet formam habeat patronymicam, ut obſervat Scholiaſtes Apollonii. quem male *Ethaliden* exprimunt apud Hyginum. Mercurii & Eupolemiæ, Myrmidonis filiæ, filius, Lariſſæus. Orpheus verſ. 131, qui in Alope natum eſſe dicit. Apollonius vero lib. I, 54 natum ad Amphryſum fluvium canit, cum Alopæ habitaverit. Valerio noſtro ab arte ſagittandi celebratur lib. I, 436. ab Apollodoro omiſſus. Apollonius etiam lib. I, 64, ut κήρυκα, (Mercurii enim filio recte hoc munus mandari poterat) miſſum ab Argonautis ad Hypſipylen reginam Lemni dicit. apud Statium lib. V Theb. 406 quidam Codices *Æthalum* habent. ſed Barthius recte oſtendit, vulgatam, *Et Talaum*, lectionem eſſe præferendam, quamquam ab Orpheo ſolum illum eſſe celebratum perperam affirmat. *Æthalium* etiam memorat Ovidius in Ibid. 621. ubi & *Æthaliden* quidem codices. ſed ex commentatoribus apparet, illum adhuc, quis fuerit, quæri. *Æthaliden* Mercurii filium etiam laudat ſimul cum Ariſtea & aliis Tzetz. Chiliad. IV, pag. 68, verſ. 520, inter eos, qui morte & vita, τῷ ἀποθνήσκειν καὶ ζῆν, gloriari poterant. quod illuſtratur ex Laert. lib. VIII, § 4, ubi Pythagoras dicitur de ſe prædicaſſe, fuiſſe ſe aliquando *Æthaliden*, Mercurii filium, qui a patre obtinuit, ut vita functus, omnium, quæ contingerent, memoriam habetet. quæ eadem fere Scholiaſtes Apollon. lib. I, 644. Male ille, qui Morerio adjecit obſervationes, reprehendit in eo, quod donum memoriæ ad omnia, quæ in vita & poſt mortem fecerat, extendat. ipſe vero reſtringit tantum ad Metempſychoſes, quarum ille meminerat variarum, alii vero obliti erant. Sed Diogenes Laertius manifeſte dicit, illum petiiſſe a Mercurio, ζῶντα καὶ τελευτῶντα μνήμην ἔχειν τῶν συμβαινόντων. & addit, illum, dum adhuc viveret, omnium meminiſſe, & poſt mortem ſervaſſe eandem memoriam, & tunc demum per metempſychoſin in Euphorbum tranſiiſſe, & ita porro. Nihil ergo cenſuræ mereretur Morerius. porro hic *Æthalides* Jaſona etiam propinqua cognatione contingebat. *Eupolemia* enim mater erat filia Myrmidonis, hic vero uxorem habuit Piſidicen, Æoli filiam, & Crethei ſororem. Apollodor. lib. I, cap. VII. Euſtath. ad Homer. Iliad. A. 338, dicit Myrmidonem Jovis filium, ejus Actora, qui duxit Æginam, poſtquam ex Jove Æacum edidiſſet, & inde ge-

Digitized by Google

nuit ille Menœtium. idem fere narrat ad Iliad. B. 684.

ALMENUS. hic Apollodoro memoratus, aliis omnibus ignoratur. dicit eum filium Martis, & jungit Aſcalapho tanquam fratri. ſed & hujus nullus inter Argonautas meminit. ſed ſine dubio corruptus eſt locus Apollodori, & ſimul ipſe auctor erravit. legendum enim eſt Ἰάλμενος, ut jam recte emendavit vir doctiſſimus Tho. Gale. quia vero ſæpe etiam alii Mythologi confuderunt quoſdam Heroas, qui Argonauticæ expeditioni interfuerunt cum illis, qui Trojano bello Græcos adjuverunt; Apollodorus perperam hos filios Martis adſcripſit Argonautis, quos Homerus Iliad. B. 516 inter Græcos, qui in Trojam militaverunt, refert, quos ex Orchomeno Minyeo veniſſe dicit, unde forte inter Minyas retulit Apollodorus. vide ibi Euſtath. *Ameleon* Hygino memoratur. ſed corruptum & ignotum nomen eſt, unde nihil extrico. præterea hic *Almenus* dicitur natus ex Aſtyoche Actoris filia, qui diverſus ab Actore Menœti patre. Homerus enim Ἀζείδαν, ſive Ἀζέως filium vocat, cum ejus Myrmidonem fuiſſe patrem viderimus. Etymologici tamen auctor in Ἄκτωρ, Actoris patrem Ἄζεα facit.

AMPHIARAUS. hic ab Apollodoro memoratur, cum alii omnes eum bello Thebano ſub Adraſto interfuiſſe narrent. inter auctores perditos Dejochus etiam *Amphiarum* accenſuit Argonautis, teſte Sholiaſte Apollon. I, 139; & idem cenſuiſſe Senecam Tragicum in Med. 656, multi interpretum mirati fuere. quid enim *Amphiarao*, ajunt, cum Argonautis? ſed celebr. Gronovius recte oſtendit, licet alii eum referant inter Argonautas, Senecam tamen ibi de Mopſo agere. inter venatores apri Calydonii refertur a Naſone VIII Met. 317. manifeſte etiam Statius III Theb. 516 Colchicæ militiæ interfuiſſe *Amphiaraum* docet, cum eum ita Melampodi reſpondentem inducit:

Equidem varii, pater, omina Phœbi
Sæpe tuli, jam tunc prima cum pube virentem
Semideos inter pinus me Theſſala reges
Duceret, &c.

quæ verba male Lutatius Melampodi tribuit. his adductis locis motus cl. Perizonius apud Hyginum loco corrupto & mutilo, ubi legitur, *Atriacha Theſtii filia*, reſcribi jubet, *Amphiaraus Oiclei filius*, *matre Hypermeſtra*, *Argivus*. quod nos nec refellere, nec probare audemus, licet probabilis

ſit conjectura, quia dicitur a Statii Scholiaſte I, 41 Lyncei & Hypermeſtræ filius. erraveritque forte ille Scholiaſtes, confundens *Hypermeſtram* Danai filiam, quæ Lynceo nupta fuit, cum Hypermeſtra Theſtii filia, quæ Oicleo conjuncta edidit *Amphiaraum.* Qui Theſtius ſi idem ſit, qui Ledæ pater dicitur Schol. Apollon. I, 46, ubi corrupte legitur Θέσπιος, & ejus mater vocata *Androdice.* Ille Theſtius fuit Martis & Piſidices filius, teſte Plutarch. de Flumin. in Acheloo, quæ Piſidice Æoli filia, Crethei ſoror, & ita Jaſoni etiam conſanguineus. ex his patet, errare doctiſſimum Baylium, qui putat, a ſolo Apollodoro eum Argonautis annumeratum tradi, qui plura de *Amphiarao* congeſſit, quo lectorem remittimus. Patrem ejus *Oiclea*, non *Joclea* vocandum, docuit Munkerus ad Hygin. fab. 128. Oicleus vero erat filius Tiphatæ, Tiphates Melampodis, qui Amythaonis, & ille Crethei. vide Euſtath. ad Iliad. B. 666. ſed Diodorus Siculus lib. IV, p. 166, Oiclea, ſub Hercule contra Laomedonta militantem, *Amphiarai* filium facit. qui an idem ſit, an nomen avi habuerit ab *Amphiarao*, neſcio, nec etiam, an plane alius. nam Diodor. lib. IV, pag. 188, Oicleum hunc filium Antiphatis & Xeuxippes, nepotem Melampodis facit. quem vide. Hyginus eo loco & fab. 70 addit etiam Apollinis filium habitum, ſed illa opinio invaluit, quia augur vel vates fuit. mater *Clytemneſtra* dicitur eidem Hygino ibidem & 73. neſcio tamen, an *Clytemneſtræ* nomen ſit repudiandum, quod in Theſti familia videtur magis uſitatum. nam ejus filia Leda etiam fuit. vide Schol. Apollon. I, 146. hujus vero altera *Clytemneſtra* Agamemnonis uxor. uxor *Amphiarai* Eriphyle fuit, cujus fabula nota. illa autem cum fuerit filia Talai Argonautæ, etiam Cretheis erat. vide in *Talao.*

AMPHIDAMAS. omnibus Argonauticorum ſcriptoribus memoratus, ſoli Apollodoro ignoratus apud Hyginum male *Amphitamus* olim legebatur. apud Orphea vero verſ. 148 Ἰφιδάμας pro Ἀφιδάμας. Filius fuit Alei & Cleobules, teſte Hygino, gente Arcas. Orpheus vero Tegeatem facit. Fratres ejus fuere Lycurgus & Cepheus, de quo infra agemus. Aleus vero filius fuit Aphidantis, & nepos Arcadis. Schol. Apollon. I, 162. qui Aphidas fuit rex Tegeæ in Arcadia. vide Pauſan. VIII, 4. Ille Aleus idem eſt, cujus filiam Augen Hercules compreſſit. Hygin. fab. 199. nam in Arcadia illam habitaſſe, patet ex Ovid. Epiſt. IX, 49:

Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen.
& Diodorus lib. IV, pag. 166, late hanc hiſtoriam narrans; Augen Alei filiam circa Parthenium montem peperiſſe Telephum narrat. Apollodorus vero lib. III, cap. 9, inter Alei filios *Amphidamanta* omittit, ſed Cephea, Lycurgum & Augen memorat. & poſtea ex Lycurgo & Cleophile, ſive Eurynome natum præter reliquos *Amphidamanta* refert, ex eoque *Milaniona* & *Antimachen* nuptam Eurytheo. *Amphidamantis* filium *Clyſonomum* a Patroclo in talorum luſu interfectum Homerus memorat Il. Ψ. 87, & ejus Scholiaſtes ad Il. M. verſ. 1, & Apollodorus lib. III, cap. 12, & Ovid. I ex Pont. III, 73. An vero idem ille ſit *Amphidamas* ab Homero memoratus Il. K. 268, dubito: cum ille Opunte habitaſſe videatur. in Trojano excidio *Amphidamantem* filium Peliæ inter eos, qui ſe equo Durateo condiderant, refert Tryphiodorus verſ. 177. filiam ejus, *Naupidamiam*, matrem Augeæ facit Hyginus, de qua in *Augea*. forte confuſi hi duo *Amphidamantes*. In Moreri lexico lego fuiſſe *Amphidamanta* ex Inachidis, filium Alcæi, & fratrem Lycurgi, ſive potius filium Lycurgi, & nepotem Alcæi, idque ex Apollodoro conſtare: quæ omnia ſummam negligentiam arguunt auctoris, qui *Aleum* cum *Alcæo*, & forte etiam *Ancæo* confundit. & in eodem lexico in *Cepheo*, auctori ſupplementi *Cepheus* dicitur frater *Alcæi* pro *Alei*, quem ignorarunt mercenarii farcinatores librorum futilium, & ex quibus certa eruditionis & literarum interiorum peſtis eſt exoritura.

AMPHION. memoratus etiam omnibus, excepto Apollodoro, filius *Hyperaſii*, & frater *Aſterii* dicitur a Schol. Apollon. I, 176. alios vero *Hippaſi* filium facere, tradit Hyginus fab. XIV; de quo vidimus in *Actore*. Orpheus, Apoll. Hygin. & alii ex Pallene veniſſe hos Argonautas tradunt. Valerius vero Flaccus I, 366 ex Pella. Nos ad illum locum, non eum ex Macedonica Pallene, ſed Achaica, (nam Schol. Apollonii dicit *Hyperaſium* fuiſſe regem Achajæ) veniſſe conjecimus. at hoc inde veroſimilius, quia urbs Hypereſia, poſtea Ægyra dicta, vicina fuerit Sicyoni, ut patet ex Pauſan. VII, 26, & Pallenen in eodem tractu ſitam eſſe oſtendit ibidem Pauſan. cap. ultimo. conjungit etiam ut vicinas urbes Homer. Il. B. 573. Hypereſiam ab Hyperaſia diſtinguit Stephanus, ſed Salmaſius eandem

eſſe, vel urbem & regionem duabus appellationibus, una litera differentibus diſtinxiſſe Stephanum putat, & Strabonis, qui de regione agit, verba ita cepiſſe. Euſtathius urbem ab Hyperete, Lycaonis filio, dictam vult. Hic vero *Amphion* diverſus fuit ab *Amphione*, Jovis & Antiopes filio, conditore Thebarum, quod ex Apollonio lib. I, verſ. 736 patet, ubi Jaſon Hypſipylæ dat pallium dono, in qua illa hiſtoria, Amphionis & Zethi, affabre efficta cernebatur; unde, illum antiquiorem fuiſſe, efficitur.

AMPONITUS. ab Hygino memoratur, ſed cum a nemine præterea hujus memoria ſit prodita, nec nomen etiam notum; facile accedo viris doctis, qui pro eo *Opuntius* legunt, & de Menœtio, qui præceſſit, explicant.

ANCÆUS. nulli eorum, qui Argonautica ſcripſerunt, præteritus. Hygino Tegeates eſt, filius ſive nepos *Lycurgi*, qui fuit frater major natu *Cephei* & *Amphidamantis*. vide Comm. ad Valerii lib. I, 376. Hunc Lycurgus pater pro ſe miſit, dum ille curam *Alei* patris, ſenio confecti, gereret. Apollon. I, 161. De ejus matre non conſtat. Scholiaſtes Apollonii *Antinoen* vocat. Apollodorus vero lib. III, cap. 9, ubi Calliſtus poſteros ex Jove recenſet, Lycurgo dat uxorem *Cleophilen*, ſive *Aurynomen*, ex qua nati *Ancæus* & alii. Scholiaſtes vero Statii ad lib. V Theb. 398 *Ancæum* Lycurgi & Salaminæ filium facit. Pauſanias lib. VIII, 4 matrem non nominat, & Lycurgo tantum duos filios *Ancæum* & *Epochum* dat. Cui conſentit Scholiaſtes Apollonii lib. I, verſ. 164, niſi quod ille vocet alterum filium *Epiochum*. de uxore vero Lycurgi nihil reperi; varietas illa vero nominum non nova eſt, ut in ſingulis fere Argonautis videbimus. Salamina, quam Lutatius dat Lycurgo uxorem, vix puto eſſe filiam Aſopi & Metopes, memoratam a Scholiaſte Pindari, ad VI Olymp. 144. nam illa Neptuno juncta edidit *Cenchrea*, teſte Diodoro Siculo lib. IV, pag. 190; ubi tamen melius ſcriberetur ejus nomen Κυχρεὺς, ut vocatur ab Apollod. lib. III, cap. XI, § 7, & a Stephano in Κυχρεῖος. & Euſtathius ad Dionyſ. verſ. 512 dicit Salamina dictam Κυχρείαν, a quodam *Cychreo*, cujus Lycophron & Arrianus meminerunt. nimirum ille meminit in Alexandra, Κυχρῆος ἀντρων verſ. 451; ubi vide Tzetzen, ut & ad verſ. 110. *Antinoe* quædam Peliæ filia memoratur Apollod. lib. I, cap. ult. § 27. ſed illa

poſt hanc expeditionem virgo, non potuit mater Ancæi eſſe. magna vero in hac parte Mythicæ hiſtoriæ confuſio, quia plures *Ancæi* & *Lycurgi* a veteribus memorantur, quorum ſæpe uni adſcribitur, quod alii debetur. ita Schol. Apollonii hunc *Lycurgum*, Ancæi patrem, confundit cum *Lycurgo*, Thraciæ rege crudeliſſimo: nam adducit locum Homeri ex Il. Z. 134, ubi de eo agit, & de quo multa *Euſtathius*, & nos egimus ad Petron. cap. LXXXIII, & ad Ovid. IV Metam. 24; & quem recte diſtinguit Lutat. ad Stat. IV Theb. 742. Meliori ſpecie ſtatui poſſet *Lycurgus* Nemeæ rex, pater *Archemori*, cujus meminit Stat. ibidem, ubi vide Lutatium & Barthium. ille enim fuit filius Pronactis, ut erudite probavit cl. Perizon. ad Ælian. IV, 5. *Pronax* vero filius *Talai*, ille *Biantis*, hic *Amythaonis*, ille vero *Crethei:* ut ita *Ancæus* ex Cretheidis Jaſoni cognatus fuerit. Scio, objici poſſe, ſi ſeriem illam majorum reſpiciamus, hunc Ancæum ſimul cum proavo ſuo Talao in eandem profectum fuiſſe expeditionem. ſed ſimilia exempla in aliis occurrent, & in fabulis rationem temporum non ſemper accuratam licet deducere. Quia tamen hoc nimis incongruum videri poſſet, etiam ſtatui poſſet filius illius *Lycurgi*, qui circa Nemeam habitavit, & frater Admeti fuit, & filius Pheretis, ex Cretheo nati Apollod. lib. I, cap. VIII, § 14. quem ille quidem cum Lycurgo Archemori patre confundit; ſed ego diſtinguendos puto, *Lycurgum Pronactis*, & *Lycurgum Pheretis* filium; cujus ſi ſtatuatur *Ancæus* filius, optime tempora congruerent, & propior cum Jaſone cognatio conſpiceretur. & eum forte intelligunt alii ſcriptores, qui inter venatores apri Calydonii eum memorant: ut Apollodorus lib. I, cap. XXX, § 2, qui Lycurgi filium ex Arcadia facit, & Admeto proxime jungit. Ubi confudiſſe *Ancæos* videtur, quia eum facit fratrem Cephei; cum lib. III, cap. 17 Cepheum fecerit fratrem Lycurgi; & ita patruum Ancæi. alium tamen *Ancæum* Neptuni filium venationi affuiſſe ſcribit Schol. Apollonii ad lib. I, 188. Parrhaſium vocat Ovid. VIII Met. 315; ubi vide Micylli notas; & ad verſ. 391, ubi eum inſtruit bipenni. plane ut Apollon. II, 118 ipſi dat πέλεκυν μέγαν. periit autem ille in venatu illo ab apro occiſus, ut Ovidius ibidem narrat, & in Ibide verſ. 503, & Pauſan. VIII, cap. 4, & Senec. Med. 643; ubi vide Delrii notas. *Lycurgum* etiam *Penthiden*

memorat Ovidius in Ibide verſ. 607; de quo nihil mihi conſtat. nec de *Bute* illo, quem antiquus Scholiaſtes memorat, plus ſcio. vid. infra in *Bute*. Porro hic *Ancæus* inter fortiſſimos Heroas ab omnibus celebratur, & Orpheus 198 dicit, illum nunquam lænam geſtaſſe, ſed pelle urſina tectum inceſſiſſe.

ANCÆUS alter. duos enim memorant hoc nomine Argonautas Apollonius I, 187, Orpheus verſ. 205, Val. Flaccus I, 413, & Hyginus, qui faciunt eum Neptuni filium: & qui ſæpe cum priore Ancæo a Mythologis eſt confuſus. Matrem ejus vocat Hyginus *Altam Catheſti filiam*, ſed Heinſius corrigebat ex *Althæa Theſtii filia*. fortaſſe quia ex Æolidis etiam deſcendere credebat: Theſtii enim mater Piſidice, quæ filia Æoli, ſoror Crethei, ut vidimus in Amphiarao. quamvis Apollodorus Theſtium Martis ex Demonice, Agenoris filia, deducat; qui deſcendit ex Calyce, Piſidices ſorore. vide in *Caſtore* & *Iphiclo*. ſed & hic confuſio: nam Piſidicen filiam Leuconis, qui Athamantis, & ille Siſyphi, & hic Æoli filius erat, facit Stephanus in Ἀργυννος. rectius vero alii (quia nullus, ut credo, *Althæam* cum Neptuno concubuiſſe tradit) hujus Ancæi matrem produnt fuiſſe *Aſtypalæam*, ut idem Stephanus in Ἀστυπάλαια, & Pauſan. lib. VI, cap. 4, ubi ejus poſteros recenſet, & eum Lelegibus imperaſſe & inſulæ Samo tradit. & ita frater fuit *Ergini*, cum quo Orpheus eum conjungit, qui etiam Neptuni filius. vide Schol. Pind. IV Pyth. 61, (quamvis de ejus matre variatum videbimus in illo) qui & Periclymenum ipſi dat fratrem, & Apollodorus lib. II, cap. 7 *Eurypylum* etiam Aſtypalææ & Neptuni filium facit. Apollonius quoque lib. II, 867 *Aſtypalæam* matrem vocat, ubi ex Simonide Genealogo Scholiaſtes idem ſtemma confirmat. Conditorem Sami inſulæ facit etiam Malchus de Vita Pythagoræ pag. 4; ubi vide notas Kittershuſii, qui ex Jamblicho eum ex Jove genitum quibuſdam creditum notat: & hinc in nummis Samiorum Neptunus conſpicitur, conſecratus & templo honoratus ab *Ancæo* filio. vide Nummiſmata Abbatis du Camps a Vallantio edita, p. 103. *Aſtypalæa* vero a Pauſania & Scholiaſte Apollonii Phœnicis filia dicitur, & ab Hygino fab. CLVII, ubi corrupte legitur, *Ericlimeus & Ancæus ex Aſtyphile Phœnicis filia*; ſed, ut vidit Munkerus, legendum, *Periclymenus &*

Ancæus ex Aſtypalæa Phœnicis filia. hic vero Phœnix an *Agenoris* filius fuerit, an *Amyntoris*, qui Achillis præceptor fuerit, dubium: ille antiquior quidem videtur, ſed tamen, ut ſtatuatur pater Aſtypalææ, ſpeciem præbere poteſt, quod *Aganor* filius *Ancæi* dicatur ab Heſychio in Ἀγάνωρ, quem ille in proavi Agenoris memoriam ita vocaſſe potuit. Phœnix vero Achillis magiſter temporibus his poſterior, & multo magis ejus filia *Aſtypalæa*, *Ancæum* Argonautam edere non potuiſſe videtur, ſi fabularum Chronologiam ad hiſtorici temporis fidem exigere liceret. Hic vero *Ancæus* cum alio ſæpe confunditur; nam & ab apro Calydonio interfectum, ex Pherecyde prodit Schol. Apollon. lib. I, verſ. 188. quod inde etiam poſſet aliquis efficere, quod hunc *Ancæum* Pleuronium faciat Orpheus verſ. 206. Pleuron autem in Ætolia, unde Meleager, ex quo *Meleagria Pleuron* Statio dicitur lib. IV, verſ. 103. Quintus Calaber lib. IV, verſ. 444 ludos funebres in honorem Achillis narrans, diſci meminit, quo olim Ancæus erat uſus, antequam ab Hercule fuerat domitus. vitioſe vero in verſione Latina legitur *Alcæus*, & mortis genus, quod Calaber non exprimit (dicit enim πρὶν κρατερῇσι χέρεσσι δαμημέναι Ἡρακλῆος) interpres reddidit, *priuſquam inter validas manus Herculis eliſus fuit.* Ad utrumque etiam *Ancæum* diverſis ſententiis ſcriptorum refertur adagium celeberrimum, πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου, *multa cadunt inter calicem ſupremaque labra.* vide Zenobii Centur. V, 71, & ibi Schotti notas; Apoſtol. Cent. XVI, 18, & ibi Pantinum. Ceterum hic *Ancæus*, qui peritiſſimus navigandi artis & ſiderum deſcribitur, & ideo forte Neptuni filius dictus, Tiphy mortuo, ad clavum fuit admotus, teſte Hygino cap. XIV, (ut ejus verba ſupplevit cap. XVIII doctiſſimus Munkerus) Orpheo verſ. 725, 1079 & 1203, & aliis. Valerius vero Flaccus *Erginum* ſuffragio ipſius navis Argus ſuperaſſe *Ancæum* & *Nauplium* refert, & *Tiphyn* excepiſſe, ut in Ergino videbimus. in Dictionario Hiſtorico Poetico video memorari *Anaxo Ancæi filiam:* quam diu fruſtra quæſivi; ſed credo vel auctoris negligentia, qui vitioſam editionem Homeri conſuluerat, (in Scholiaſte enim Iliad. ξ. 323, ubi Alcmenæ genus refertur, legitur, Ἄναξο τῆς Ἀγκάιου, pro Ἀλκάιου, ut in editione Hackiana correctum,) vel operarum errore eſſe editum pro *Alcæi filia.* nam Apollodor.

lib. II, cap. IV, § 5, *Anaxo Alcæi* filiam, Electryonis uxorem, & matrem Alcmenæ facit. & ille *Alcæus* memoratur Schol. Apoll. I, 747, ut filius Perſei & Andromedæ fuerit, & pater Amphitruonis; Schol. Pind. VI Olym. 115. Euripid. Hecub. 886, & Serv. ad Virg. VI Æneid. 396, ita ut *Anaxo* hæc nupſerit patruo ſuo Electryoni, Alcæi fratri. Obiter etiam noto, *Anaxo* aliam memorari, quam ante Helenam ex Troja rapuiſſe Theſea narrat Athenæus lib. XIII, 1, quem errare in patria hujus mulieris recte oſtendit Meurſius in Theſeo cap. XXIII, & ex Plutarchi Theſeo pag. 13 pro ἐκ Τροίας legendum, ἐκ Τροιζηνίας; quamquam etiam poſſe legi, ἐκ Τροιζῆνος, oſtendit.

ANCHISTEUS. hunc Carrion retulit in catalogum Argonautarum ab Orpheo memoratorum, licet corrupte legatur in Carrionis editione, *Anchiſtecus:* Orphei verba verſ. 221 ſunt:

Αὐτὰρ δὴ Πελίαο Φεραιόθεν ἤλυθ' ἄνακτος
Ἀγχιστεύς.

Sed Guil. Canterus lib. V Novar. lect. cap. 5, miratus Orphea nullam *Acaſti* mentionem facere, correxit hunc locum & legit,

Αὐτὰρ δὴ Πελίαο Φεραιόθεν ἤλυθ' Ἄκαστος
Ἀγχιστεύς.

& vocem ἀγχιστεὺς notare affinem ſeu generum, ut filium Peliæ poetica licentia vocat, docet. quem ſecutus eſt Ger. Voſſius in notis ad Valerium noſtrum I, 485; ſed non opus ἀγχιστέα *affinem* aut *generum* vertere, ſed *proximum*, ut filius certe patri erat. Ita Heſychius ἀγχιστεὺς, συγγενής. & potuit ita capere Orpheus, ut apud Juriſconſultos *ſuus heres*, quia ἀγχιστεία eſt jus hereditatis legitimæ, quod proximo competit, & ἀγχιστεύειν, hereditatem jure proximæ cognationis cernere, ut docuit Budæus in Commentario Græcæ linguæ pag. 88. vide & Suidam in ἀγχιστεὺς, qui tamen reſtringit ad eos, qui ἀπὸ ἀδελφῶν καὶ ἀνεψιῶν; ſed Budæus latius ſumi docet. ſed ex hac voce nihil certi poteſt de Acaſto colligi: nam & eodem jure Admetus ἀγχιστεὺς Πελίαο dici poteſt, qui etiam gener ejus fuit, ducta Alceſtide, & qui rex Pherarum erat: ſed ille jam ab Orpheo ante erat memoratus; quare quærendum adhuc puto hunc Orpheo intellectum Argonautam.

Val. Flaccus. C

AREJUS. hic ab Orpheo verſ. 142, & Apollonio lib. I, verſ. 118 refertur inter Argonautas. Carrion omiſit in ſuo Catalogo ex Orpheo, forte, quia crediderit, 'Αρήϊον eſſe epitheton *Talai*, qui *Martius* dictus fuerit a poeta, ut ſæpe' Homerus Heroas ſuos hoc epitheto ornat. fuit hic frater & *Talai* & *Laodoci*, qui filii fuere *Biantis*, ille vero *Amythaonis*, qui *Crethei*: ita ut Jaſonem propinqua agnatione contigerint. vid. Scholiaſt. Euripid. in Phæniſſ. verſ. 423, & infra in *Talao*. Orpheus vero verſ. 147 vocat *Abantiada*, quod commentator nuperus non eſſe patronymicum, ſed gentile putat, intelligens credo, illas ex gente vel populo Abantibus veniſſe. *Abantes* vero fuere Eubœæ incolæ. vide Homer. Iliad. B. 536, & ibi Euſtath. ſed Argivos fuiſſe tradit Apollonius, & *Bias* pater rex fuit Argivorum. quare confudiſſe Orphea credo, quia legerat forte Talai patrem fuiſſe *Abantem*, filium *Lyncei*. diverſus ab Argonauta, fuit Hypermneſtræ maritus, filius Ægypti, cujus filius Abas, nepos *Talaus*. vide Pauſan. lib. II, cap. 26, & X, 35, & Schol. Eurip. in Hecub. 886. Alius etiam *Abas* fuit *Melampodis* filius, qui etiam *Amythaonis* filius fuit, & frater *Biantis*, ut Schol. Apollonii I, 143: quos confudiſſe potuit Orpheus, & per errorem *Abantiadas* vocaſſe ex Biante natos. ille vero Abas Melampodis filius hoc nomen habuit ex alio *Abante*, Prœti patre. nam Melampus, cum Prœtidas ab inſania liberaſſet, unam ex illis duxit uxorem, & conſors regni factus eſt a Prœto. v. Lutat. ad Stat. III Theb. 452. ſed veroſimilius tamen credo, Orphea illos ſecutum, qui *Amythaonis* uxorem fecerunt *Idomenen*, *Abantis* filiam, ut Apollodorus lib. II, cap. II, § 2; licet ipſe lib. I, cap. 9, § 11, eam cum reliquis Pheretis filiam dicat; ita ut ab avia matre Biantis, quæ Abantis filia erat, *Abantiadas* potuerit vocare. Mater horum fratrum fuit *Pero*, Neſtoris ſoror, Nelei filia, qui ex Tyro filia Salmonei, qui Æoli filius erat, deſcendebat. vide in *Neleo*. Cum vero mirarer, Valerium hujus Argonautæ non meminiſſe, incidit ſuſpicio, latere in illo lib. I verſ. 358:

Nititur hinc Talaus, fratriſque Leodocus urget
Remo terga ſui, quos nobile contulit Argos.

ut *frater* ille fuerit tertius *Arejus*; & ita cenſere quoſdam ait Pius, qui tamen rejicit, quia nominatim Valerius, ut mos ipſi eſt, eum non recenſet. quare hoc in medio relinquimus.

ARGUS. hoc nomine duo occurrunt nobis Argonautæ; ſæpe inter ſe confuſi; quos nos diſtinguere conabimur. Primus eſt nobilis ille fabricator navis, quæ ex quorundam opinione ab eo *Argo* fuit dicta, qui ab omnibus, præterquam ab Orpheo memoratur. cum autem multi *Argi* fuerint in hiſtoria Mythica, non facile eſt omnes in concordiam redigere ſcriptores. De genere noſtri non convenit etiam: ex Theſpiis oriundum facit noſter lib. I, 93 & 124. patrem ejus *Areſtorem* facit Apollon. lib. I, 112, ita ut idem eſſet, qui *Argus*, cuſtos Ius, a Junone appoſitus, & centum oculis vigilans a Mercurio interfectus. hunc enim *Areſtoriden* vocat Ovidius I Metam. 624. Tzetz. ad Lycophron. verſ. 885 Ἕστορος ἢ Ἀλέκτορος filium dicit, ubi credo, Ἀρέστορος legendum pro Ἕστορος. & in Apollonio *Alectoridem* pro *Areſtoridem* eſſe contendit doctiſſimus Mezeriacus ad Ovid. Epiſt. VI, 65, p. 671, ubi egregie de hoc Argo, & nave Argo diſputat. hunc etiam alii faciunt conditorem urbis Argi. Schol. Euripid. Phœniſſ. 1123. quem alii filium Alevæ, ut Schol. Æſchyl. Prometh. 570; alii Inachi, ut Apollodor. lib. II, cap. 1, § 1. alii Jovis & Niobes, ut Schol. Euripid. Oreſt. 930, ex Pherecyde faciunt. ſed centoculum illum diverſum a noſtro Argo eſſe, certe ita cenſere Valerium noſtrum, apparet ex lib. IV, 351, ubi Orpheus fabulam Ius & cuſtodis Argi, ut multo antiquiorem, canit. variant vero in hac ipſa Ius fabula veteres. Anonymus enim de Incredibilibus cap. 15 editionis Thomae Gale, facit Io Areſtoris filiam, Argum vero fratrem matris Areſtoris: Charax vero apud Stephanum in Παῤῥασίᾳ Pelaſgum Areſtoris filium, hunc Ecbaſi, illum Argi. quæ vix poſſent inter ſe congruere, niſi Argi ſoror, mater ſtatuatur Areſtoris. Apollodorus lib. I, cap. 9, § 16, Phrixi filium facit; ſed ille alter *Argus* eſt, de quo mox dicendum. Hyginus fab. XIV facit Polybi & Argiæ filium, vel, ſecundum alios, Danai. Polybum vero Phocidis regem, qui Œdipum educavit, reperio apud Diodor. Sicul. lib. IV, pag. 185, & Stat. I Theb. 64. Argiam vero ejus matrem plane ignoro. diverſam ab omnibus opinionem tradit Ptolemæus Hephæſtionis F. lib. II, pag. 310, qui prodit, Argo navem dictam ab Argo Jaſonis filio, quem ille amans ſecum in Scythiam duxit. vide in *Hercule.*

ARGUS alter. Phrixi & Chalciopes, filiæ Æetæ, ſororis

Medeæ, filius, quem confuderunt multi cum priore Argo: nam Apollodorus lib. I, cap. 9, § 16, Phrixi filium facit fabricatorem navis: & Pherecydes apud Schol. Apollon. I, 4 in eadem fuit ſententia. idem inter recentiores ſcriptores fecit vir doctiſſimus *Franc. Bianchinus* in Hiſtor. Univerſ. Decad. III, pag. 375. hic acceſſit cum fratribus ſuis Argonautis in inſula Dia, ut Hyginus ſcribit: quod vix veriſimile videtur, cum illa in mari Ægæo ſita ſit, diuque jam Argonautæ Pontum Euxinum intraverant; niſi ſit alia inſula in Ponto Euxino intelligenda. Valerius Flaccus lib. V, verſ. 461, Jaſonem illos inveniſſe in ipſa Colchide, & aula Æetæ, tradit. & ita fere Orpheus verſ. 858. Scholiaſtes Apollon. ad lib. II, 284 & 309 dicit, Argonautas illos inveniſſe in inſula deſerta, quam *Aretiada* vocatam ait, in qua erant aves Stymphalides, & templum Martis, ab Amazonum regina conſtructum. & ipſe poeta verſ. 1125, ubi Argonautas ad eam inſulam perduxit, Argum inducit cum Argonautis colloquentem: ubi etiam Scholiaſtes dicit, filios Phrixi quatuor, ab aliis quinque, ſtatui, & Acuſilaum & Heſiodum eorum matrem non Chalciopen, ſed Jophoſſam, filiam Æetæ, facere. ex quibus inducor fere, ut apud Hyginum nomen inſulæ corruptum eſſe, & pro *Dia*, *Aretiade* legendum eſſe credam. dicta vero Ἀρητίας fuit a Marte, quia ab Otrera Amazonum regina, Martis filia, fuit condita. Hic porro Argus duxit *Perimelen* Admeti filiam, ex qua *Magnetem* tulit, unde Magneſia in Theſſalia dicta; Magnetis filius vero fuit *Hymenæus.* vide Antonini Liberal. Metam. cap. XXIII.

ARMENIUS. unde *Armenia* dicta. Jaſonis comes in militiam Colchicam dicitur a Juſtino lib. XLII, 2, ubi Bongarſius a Strabone *Armenum* vocatum notat. Strabo enim lib. XI, pag. 530, *Armenum* ex Armenio Theſſaliæ oppido, ſito inter Pheras & Lariſſam, ſe comitem præbuiſſe Jaſoni narrat, ubi multis cognationem & ſimiles mores inter Theſſalos & Armenios probat. *Armenium* tamen vocat eodem libro pag. 503, ubi Caſaubonus Armenium Theſſaliæ urbem, *Ormenium* vocari lib. IX, p. 438 notat. idem fere tradit Euſtathius ad Dionyſ. Perieg. verſ. 694; niſi quod addat, alios hunc *Armenium* Rhodium feciſſe. nihil præterea de hoc obſcuro Heroe mihi conſtat.

ASCALAPHUS. hunc Apollodorus in catalogum ſuum

retulit, cum fratre *Almeno.* vide ſupra in *Almeno;* ubi errorem eſſe oſtendimus, & illos Trojano bello interfuiſſe ex Homeri Il. B. 516 docuimus. diverſus vero hic *Aſcalaphus* Martis filius, ab *Aſcalapho*, Acherontis & Orphnes filio, de quo vidimus ad Ovid. V Met. 539.

ASCLEPIUS. Apollinis & Coronidis filius, qui Latinis *Æſculapius* dicitur, ſoli Hygino inter Argonautas memoratus. Clemens tamen Alexandr. lib. I Stromat. p. 325, Aſclepium & Dioſcuros etiam cum Jaſone navigaſſe, ex Apollonio Rhodio narrat. nuperus vero in Anglia Clementis editor nos remittit ad lib. I verſ. 146, ubi quidem Dioſcurorum fit mentio, ſed nulla, quod ſciam, in toto Apollonio, *Aſclepii* Argonautæ. ideo vellem locum nobis accuratius demonſtrari. de *Aſclepio* vero, vel *Æſculapio*, cum omnia ſint obvia, & eum nemo præter Hyginum annumeret Argonautis, hic pluribus non agemus. Obiter tantum notabimus, ipſum Hyginum, hunc filium Coronidis facere, & tamen Fab. XCVII *Machaona* filium Æſculapii ex Coronide etiam natum affirmare. ubi vide Munkeri notas, & ad fab. CLXI, & quæ nos ad Ovidii Met. II, 569 de matre Æſculapii adduximus, & alii ad XV, 624.

ASTERION. omnibus memoratus ſcriptoribus. Orpheo verſ. 161; Apollonio I, 35; Valer. Flacc. I, 355; Apollodoro lib. I, cap. 9, ubi corrupte 'Αστήριος vocatur. filius dicitur *Cometæ*, de quo vide commentatores ad Val. Fl. d. l. Hyginus ſolus ipſi dat *Pyremum* patrem, qui, quis ſit, ignoratur; & locus ſine dubio corruptus eſt. idem Hyginus alterum *Aſteriona* memorat *Hyperaſii* filium, fratrem Amphionis. ſed ille *Aſterius* vocandus, ut videbimus mox, & ſupra jam in *Amphione* docuimus, ubi de Pellene vel Peline eorum patria egimus. apud Hyginum etiam pro *Pyremo*, *Pyreto* reſcribi poſſet, quo nomine in pugna Lapitharum & Centaurorum aliquis memoratur apud Ovidium lib. XII Met. 449. Sed hæc incertiſſima: alii enim omnes *Cometæ* filium faciunt; ut Pauſanias lib. V, 17. *Cometes* etiam memoratur inter Lapithas Ovidio XII, 284 an idem ille ſit, non audeo affirmare. nec etiam an ille *Cometes*, cujus filius *Sthenelus* Trojani belli tempore ab Euſtathio affertur ad Dionyſ. Perieg. 484, qui *Sthenelus* diverſus eſt ab illo Herculis comite in expeditione Amazonia, Actoris filio, quem noſter memorat lib. V, 90, ubi vide notas; & ab alio Perſei

& Andromedæ filio, apud Schol. Apollon. I, 747. Mater *Aſterionis* ab Hygino dicitur *Antigona*, Pheretis filia; quod cognationem cum Jaſone oſtendit. *Pheres* enim *Crethei* frater, filius *Æoli* fuit. Ab hoc Heroe urbem Aſterium Theſſaliæ, cujus Stephanus meminit, denominatam credit Simſonus: Stephanus, vel a fulgure, vel ab Aſterio quodam, ut & Euſtathius a Berckelio adductus.

ASTERIUS. hunc ab Aſterione diverſum faciunt Apoll. I, 176, & Orpheus 214: Hyginum, vel ejus librarios, permutaſſe duos modo vidimus. Frater *Amphionis* dicitur, quare patria & parentes iis communes, neque hic repetenda, quæ ſupra de iis diximus. omittit eum Valerius Fl. niſi quod Pius eum intrudere pro Deucalione tentet lib. I, verſ. 365; de quo in *Deucalione*. Apollodorus *Aſterium Cometæ* filium facit; ſed ibi legendum *Aſterionem* diximus, quem, omiſſo Aſterio, ſolum memorat. Fuit & alius hoc tempore *Aſterius*, Nelei filius, frater Neſtoris & Periclymeni, qui ambo quoque inter Argonautas fuere. vid. Schol. Apollon. I, 156.

ATALANTA. Schœnei filia, ſive altera Jaſii filia: nam confudiſſe duas, docent notæ ad Ovid. VIII Metam. 318, & X, 565, ubi de illis ſatis dictum. Unica hæc inter tot viros puella, ſi Diis placet, hoc iter ingreſſa dicitur ab Apollodoro lib. I, cap. IX, § 16, & Diodoro Siculo lib. IV, pag. 175. alii vero omnes hanc majori cum ſpecie veri omittunt. Apollon. lib. I, verſ. 709, dicit, Jaſona habuiſſe haſtam, quam hoſpitale munus ab *Atalanta* acceperat, ubi Scholiaſtes *Jaſonis* (ſed legendum *Jaſii*, ut recte Barth. ad Stat. VI Theb. 504, obſervat) filiam facit, quæ nupta Milanioni fuit, diſtinguens ab altera Schœnei filia.

AUGEAS. Solis filius, ut vidimus in *Actore*, memoratur ab Orpheo verſu 212, Apollonio I, 172, & III, 361, Hygino & Apollodoro. ſed omittitur a Valerio. An *Augeas*, an *Augias* dicendus ſit, diſputat ad Valer. Fl. I, 394 Maſerius, ubi quidam codices pro *Bute Ægeum* habent. unde Maſerius anſam arripuit de *Augia* etiam agendi. *Augeum* etiam dici poſſe credidit Munkerus ex judicio Heinſii ad Hygin. fab. 30. ſed hoc ex flexione Græca veniſſe puto, quia Αὐγείας Αὐγείου in genitivo habet. Matrem ejus Hyginus fab. XIV facit *Naupidamen Amphidamantis* filiam. qui ſi *Amphidamas* Argonauta fuerit, avus & nepos huic

expeditioni ſimul interfuiſſe debuerunt. hæc vero *Naupidame* mihi prorſus ignota. *Augeæ* vero nomen forte habere potuit ab *Auge*, ſorore *Amphidamantis* avi ſui, de qua ſupra vidimus. Tzetzes Chiliad. IV, 137, pag. 65, inter Solis filias recenſet *Augeam* ex *Iphiboe*, quæ æque ignota mihi ac *Naupidame*. Scholiaſtes Apollonii, qui nomine Solis, revera Phorbantis filium fuiſſe Augean refert, dicit matrem fuiſſe *Nyctei* filiam, alii vero *Epochi* filiam, de quo loco egi ad Ovid. II Metam. 593, ideoque hic non repeto. Reliqua de *Augea*, ejus ſtabulo & bello cum Hercule, ut quæ ad Argonautica non pertinent, hic attingere non vacat.

AUTOLYCUS. Mercurii filius, notus furandi arte, ex *Chione*, vel, ut alii, ex *Philonide* Deucalionis filia. vid. Hygin. fab. 200 & 201. & de cujus genere vide Mezeriacum ad initium Epiſtolæ Ovidianæ Penelopes. hoc unum adjicio, Servium duos *Autolycos* diſtinguere ad Æneid. II, 79: priorem, etiam furem, habuiſſe filios duos Siſyphum & Autolycum, ex Siſypho natum Sinonem, ex Autolyco ſecundo Ulixem; ita ut Anticlia, quam corrupit Siſyphus, fuerit fratris filia. Memorat etiam Strabo *Autolycum* furem & parietum perfoſſorem, qui in Parnaſo habitavit, lib. IX, pag. 439, ex Homer. Il. K. 226. A ſolo Apollodoro memoratur hic inter Argonautas. videtur autem antiquior. nam ejus filia Anticlia a Siſypho Æoli filio jam compreſſa dicitur, & gravida data Laertæ, qui etiam inter Argonautas numeratur. vide de *Autolyco* hoc Tzetz. Chiliad. VIII, 202, p. 149. Præterea a quibuſdam Alcimede, mater Jaſonis, filia Autolyci creditur fuiſſe, de qua in Jaſone agemus, nec videtur avus ſub ductu nepotis ſui militaſſe. quare credo, Apollodorum hunc *Autolycum* nobiliorem confudiſſe cum minus noto *Autolyco*, qui ſe Argonautis circa Sinopen urbem adjunxit, cum *Phlogio* & *Deilonte*, ut narrat Apollonius lib. II, 957, & Val. Fl. V, 115. hos Apollonius facit filios *Deimachi*, & fuiſſe comites Herculis contra Amazonas, & deinde erraſſe, & circa Sinopen habitaſſe. quidam etiam *Autolycum* conditorem Sinopes, & ejus ſtatuam egregii operis, a Stenide factam, ibi fuiſſe poſitam, quæ expugnata urbe a Lucullo fuit ablata. vide Strabon. XII, pag. 377, qui addit, hunc *Autolycum* unum fuiſſe ex illis, qui cum Jaſone navigarunt. Hyginus vero, eum & tres

ejus comites fuiſſe filios *Phrixi*, quos alio nomine diverſi ſcriptores appellare conſueverunt.

AZORUS. Heſychius, Ἄζωρος εὐκράτος οἶνος, καὶ ὁ κυβερνήτης τῆς Ἀργοῦς. Munker. ad Hygini fab. XVIII, ſe ignorare fatetur, quis ille *Azorus* ſit gubernator Argus navis. nec ego plus novi; niſi quod fuiſſe conditorem urbis Azori credam, quæ in Pelagonia ſive Tripolitide memoratur a Strabone lib. VII, pag. 327, & a Stephano recenſetur, qui & conditam a quodam *Azoro* addit. reliqua quærat me diligentior.

BUPHAGUS. hunc in album Argonautarum ab Orpheo memoratorum retulit Carrion. Alardus vero, cæcos duces non tantum ſequi ſolitus, ſed eorum errores ampliare, exhibet *Euphagum*. Inſigni certe uterque ignorantia & negligentia: Orpheus enim verſ. 136 ait,

Αὐτίκα δ' Ἀκτορίδης καὶ βούφαγος ἤλυθε Κόρωνος.

ubi apparet eſſe epitheton *Coroni*, & peſſime Perdrierium vertiſſe *Buphagum Coroni filium*, ut arguit optime Eſchenbachius, qui hoc epitheton, Herculi alias datum, robur & ſtrenuitatem indicare oſtendit. unde apparet, verſionem Carrioni fraudi fuiſſe, & verum de eo eſſe, quod Lipſius de eo ſcribebat Cantero in Epiſt. LIX, Centur. 3, a Gabbema edita, Græcæ linguæ ignarum fuiſſe Carrionem, &, neglectis fontibus, verſionibus acquieviſſe; immo ne Græce quidem ſcribere noviſſe. de hoc vero titulo βουφάγου, qui Herculi ob voracitatem, & quia integrum aliquando bovem comederat, datus, conſulendi Barth. ad Stat. VI, 532, & Spanhem. ad Callim. Hym. in Dianam verſ. 148 & 160.

BUTES. Athenienſis, memoratur Orpheo verſ. 138, Apollonio I, 95, Apollodoro & Hygino, nec omiſſus Valerio Flacco I, 394; licet Carrion eum inter Argonautas Valerio memoratos omiſerit. *Teleontis* filius, qui diverſus a *Teleonte*, patre Eribotæ, a Scholiaſte Apollonii dicitur. diverſus hic a *Bute* memorato Ovidio VII Metam. 500, Pallantis filio, quamvis Heinſius ibi *Teleonte creatum*, pro *Pallante* conjecerit legendum. Meurſius vero, ut ibi notavimus, pro *Bute*, *Bryten* legebat. Orpheo vero Αἰνειάδης dicitur; ſed quod ſtemma plane ignorare me fateor. Mater ejus ab Hygino dicitur *Zeuxippe*, Eridani fluminis filia. quæ etiam incognita mihi: ſuſpicor vero, legendum eſſe in Hygino *Apidani* fluminis filiam, ut ita ex Theſſalia maternum genus

trahens, Jaſoni ſe etiam comitem adjunxerit: & certe, ſolere hæc flumina confundi, docebunt notæ ad Ovid. I Met. 580. plures *Butas* Athenis fuiſſe hoc nomine nobiles, & ab auctoribus ſæpe inter ſe confuſos, puto: nam idem Apollodorus libro III, cap. XIV, § 7 *Zeuxippen* memorat uxorem Pandionis, ex qua Erechthea, *Buten*, Procnen, & Philomelam tulit: cui etiam accedit Tzetz. Chiliad. V, 29. quæ *Zeuxippe* ab Apollodoro dicitur fuiſſe matris Pandionis ſoror, mater vero fuit *Paſithea*, Nympha Nais, teſte Apollodoro lib. III, cap. XIV, § 6. ſed hunc *Buten* diverſum ab Argonauta facit Meurſ. lib. II de Reg. Attic. 6; qui & de eo agit in Cecrope cap. XVIII. meminit ejus & Stephanus in Βουτάδαι. Ex hoc familia nobiliſſima *Eteobytadarum* deſcendit. vide Harpocr. & auctorem Etymol. M. in Βουτάδαι & Ἐτεοβουτάδαι. Diverſus etiam creditur *Butes* Amyci filius, qui ex Venere ſuſcepit Erycem, qui in Sicilia regnavit. quem Lexicographi memorari putant a Virgil. V, 372; ſed confudiſſe illum cum illo *Bute* Argonautam noſtrum apparet, quod Apollodor. lib. I, 9, § 25, & Apollon. IV, 912, & Hygin. dicant, hunc *Buten*, Sirenum carmine victum, ad eos nataturum ſe in mare præcipitaſſe, ſed Veneris beneficio e fluctibus ſervatum appuliſſe Lilybæum, ibique ſedes fixiſſe. Hic ergo pater Erycis debet ſtatui, de quo omnia collegit Cluverius de Sicilia Antiq. lib. II, cap. 1, qui etiam notat, alios *Erycem* non *Butæ*, ſed *Neptuni* filium feciſſe. Nimirum, ut ſæpe in Heroibus vidimus, revera erat Butæ filius, ſed Neptuni dictus. & huc ſpectare puto verba auctoris Etymolog. M. quæ prætererunt Cluverium, in Βουτίδης. οὕτω Βούτης, Βούτου, Βουτίδης, τοῦ Ποσειδῶνος υἱός. ſed hinc alium ſcrupulum injicit Apollonius, qui d. l. narrans *Butæ* caſum, jam Venerem vocat, Ἔρυκος μεδέουσαν, *reginam Ercyis*, id eſt, Scholiaſte explicante, *urbis Erycis*. ſi enim *Butæ* filius *Eryx*, eo tempore urbs certe *Eryx* nondum erat, vel ſaltem eo nomine inſigniri non poterat, niſi πρόληψιν ſtatuamus, vel *Buten* illum diverſum ab Argonauta. certe Diodor. Sic. lib. IV, p. 196, loquitur de *Bute*, ut ignoto vel indigena. nam *Erycem* filium *Butæ*, Βασιλέως ἐγχωρίου, dicit. *Polycaonem* filium *Butæ* memorat Pauſan. lib. IV, 2; quem ignoro. Alius, ſed ignorabilis plane, *Butes* memoratur ab interprete veteri Ibidis Ovidianæ verſ. 609, de quo vide, quæ ibi diximus.

CÆNEUS. Elati filius, ab Hygino ſolo refertur inter Argonautas; ſed ſuſpicatur Munkerus, hic quædam ex Apollonio a gloſſatore quodam deſcripta, qui *Coroni* Argonautæ memoriam, cujus pater fuit *Cæneus*, voluit illuſtrare. quod tamen neſcio an perſuadeat, cum in ultima parte illius capitis XIV recenſeat *Cænea alterum*, *Coronis filium* (ubi certe *Coroni filius* legendum) quem neminem noviſſe ait, cum *Coronus* fuerit filius *Cænei*. & certe loca illa Hygini male affecta eſſe credibilius eſt, quia nuſquam mentio *Coroni* occurrit, quem alii annumerant Argonautis. quare in primo loco aſſentimur Scheffero & Munkero, qui nomen *Coroni* excidiſſe credunt, & ſupplent, *Coronus Cænei filius*, *urbe Gyrtone*. Scholiaſtes tamen Apollon. I, 57 dicit, quoſdam *Cænea*, non *Coronum* inter Argonautas retuliſſe. forte hæc confuſio inde nata, quod quidam Cænea, non Elati filium, ſed etiam Coroni filium fecerint, quos ſecutus Hyginus fuit. ita certe auctor Scholiorum Homeri, in Iliad. B. 745, Καινείδαο, ut ibi Leonteus vocatur, explicat *Καινέως, παιδὸς Κορώνου*. Carrion Catalogo ſuo adſcripſit quoque *Cænea*, ut ab Orpheo memoratum; ſed ille verſ. 167 de *Polyphemo* Cænei fratre agit, non de ipſo Cæneo; niſi in corrupto illo verſu 168 lateat *Cæneus*. de Cæneo vero Lapitharum in pugna, ejuſque miraculis vid. Ovid. XIII, 459 & ſeq. ubi & *Elateius* dicitur verſ. 497.

CALAIS, cum fratre ZETE. nati ex Borea & Orithyia, quæ filia fuit Erechthei Athenienſis regis, filii Pandionis: ab omnibus inter Argonautas relati, ut & ab Oppiano II Cyneg. verſ. 621. Hic Boreas, filius Strymonis a quibuſdam habitus, rex Thraciæ. vide Schol. Apollon. lib. I, 211. qui rapuit ex Attica Orithyiam Erechthei filiam. vide Apollod. lib. III, XIV, § 2. Schol. Pindari ad Pyth. IV, 324 docet, Boream virum quendam Thracem fuiſſe, quia Thracas Græci Βορείους vocarent, & filios Boreæ venti dictos, quia erant velociſſimi pedibus; & *Calain* dictum, quaſi *καλῶς ἄοντα*, *Zeten*, quaſi *ζαήτην*, id eſt, *ἄγαν ἄοντα καὶ πνέοντα*. quibus ſimilia habet Euſtath. ad Odyſ. E. circa fin. pag. 240 Ed. Baſil. Stat. V Theb. 406 velis miniſtrantem *Calain* inducit, unde forte alas ipſi tribuerunt poetæ, eodem modo ut Perſeo, Dædalo, & aliis, ut notum eſt ex Mythologis. Matrem *Orithyiam* confundunt quidam cum alia ejuſdem nominis: Scholiaſt. enim Apollon. d. l. facit Co-

cropis filiam; cum hæc fuerit Erechthei, altera vero Cecropis II, quæ, nupta Macedoni, Europum genuit, teſte Stephano. vide Meurſ. Reg. Att. II, cap. 13 & 14. Sororem habuere hi Argonautæ *Cleopatram*, quæ nupta Phineo. de qua noſter Flacc. lib. IV, 464, & cujus hiſtoriam enarrat Triclinius ad Sophocl. Antig. 977, & Scholiaſt. ad verſ. 992: ad quem obiter notandum, illum Scholiaſten, quiſquis ſit, narrare maximam partem ex Apollodori Bibliotheca, in cujus tamen lib. III, cap. XIV, § 2, ita ut nos habemus, & aliter, & brevius narratur. unde confirmari poſſet opinio Barthii ad Stat. I Theb. 121, nos tantum magni & immenſi operis Mythologici habere epitomen. ex hac *Cleopatra* Phineus tulit *Plexippum* & *Pandiona*, vel, ut alii, *Gerumban*, & *Aſpondum*. hos ad Argonautas veniſſe, contra injurias novercæ auxilia petentes, & cum iis abiiſſe in Colchida narrat Diod. Sic. lib. IV, pag. 172. hos Boreadas mortuos eſſe in perſequendis Harpyiis quoſdam tradere, alios vero circa Tenum inſulam ab Hercule occiſos, narrat Apollodorus d. l. Hyginus telis ab Hercule confectos refert. quo reſpicit Senec. Med. 634:

Stravit Alcides Aquilone natos.

ubi vide Delrium. Condidiſſe *Calain Cales*, urbem in Campania, auctor eſt Silius Ital. lib. VIII, 514, quam & lib. XII, 525 *Threiciam Calen* ideo vocat. ſed Cluverius Ital. Antiq. lib. IV, cap. 6, poetam ex ſimilitudine vocabulorum id finxiſſe cenſet, cujus ſententiæ accedit eruditionis ſummæ vir Camillus Peregrinus diſſert. II de Campania Felice pag. 316. ſed idem vir ſummus non obſervaſſe Cluverium notat, Silium de ejus ſitu contraria dixiſſe; cum enim lib. XII recte eam inter Campanas retulerit, lib. VIII eam collocat in Pelignis. Unde vero editor numiſmatum egregiorum ex Muſeo Jacobi de Wilde reſciverit, caput juvenis alati in nummo Amiſi urbis Galatiæ eſſe Calais, neſcio. & vellem nobis vel unicum teſtimonium veteris ſcriptoris protuliſſet, quo ſuſpicionem de Calai, conditore Amiſi, firmaſſet. unde etiam *Cales* urbem, de quo modo vidimus, *Caleſium* vocatam didicerit, vellem indicaſſet. perſuaſum tamen etiam cl. Jac. Gronovio, caput in nummo Amiſi, eſſe Calais, video ex tomo I Theſauri Ant. Græc. in quem eum contulit; ſed de urbe Amiſo mentione nulla facta: quod tamen oportuit. Ex Hygino tantum

fab. 273 (non 237) memorat, Calain in ludis, quos Acaſtus fecit, Argivis, viciſſe diaulo: de quibus ludis in *Acaſto* egimus. ſi iis vero Calais & Zetes vicerint, vixere certe poſt expeditionem Argonauticam. ſed quo tempore ab Hercule perierint, neſcio. Dion Chryſoſt. in Corinthiaca p. 458, quem indicio cl. Gronovii locum debemus, hoc certamen a Neptuno & Sole inſtitutum ait, in quo & Argo navis vicit, quæ poſtea a Jaſone fuit conſecrata. ubi in Iſthmo certamen, non Argis, fuiſſe commiſſum dicitur, & nulli, niſi Argonautæ, certaſſe; non alii, quos Hyginus admiſcet. Ceterum *Calain* & *Zeten* ſæpe a ſcriptoribus confuſos cum *Amphione* & *Zeto*, obſervavit vir eruditiſſimus Schurtzfleiſchius in Animadverſionibus ad Longin. cap. X, pag. 66.

CANTHUS. & hic omnibus memoratus ſcriptoribus. *'Abantiades* dicitur Apollon. I, 78, & Scholiaſtes facit filium Canethi, (unde mons in Bœotia,) qui filius *Abantis*, unde Eubœæ incolæ *Abantes* dicti. quocum & Orpheus facit, qui verſ. 139:

Κάνθος δ' Εὐβοίηθεν 'Αβαντιάδης ἐπέρησεν.

Valerius vero lib. I, 453 genitorem *Abanta* vocat, & lib. VI, 321, Euboicum facit. Abantes vero plures fuiſſe, & alios etiam *Abantiadas* vocari vidimus in *Arejo*. quare noſtrum deducere licet ex illo Abante, qui Melampodis filius, nepos Amythaonis, pronepos Crethei fuit, ut ita genere Jaſoni fuerit conjunctiſſimus. Hygino dicitur *Ceriontis* filius, quod nomen certe corruptum eſt. Hic non rediit domum, ſed, ut Hyginus refert, in Lybia a Cephalione cum Eurybate interfectus. Apollon. lib. I, 485, a Caphauro filio Naſamonis & Tritonidis Nymphæ, (qui filius Amphithemidis, vel Garamantis; & ille ex Acacallide minori filia filius Phœbi) cujus pecus abigere volebat, lapide ictum canit: Orpheus 141 ſimpliciter in Libya periiſſe dicit: Valerius ab his diſſidens, eum lib. VI, 317, & VII, 422, in pugna cum Perſe a Geſandro interemtum memorat. Maſerius ad lib. I, 451 ad *Canthum* refert illa Senec. Medea verſ. 622:

Aulis amiſſi memor inde regis &c.

quæ alii ad Tiphyn, alii Erginum ſpectare cenſent. vide Scaliger. ad Propert. III, 6, 23. ſed locus ille mihi nondum planus eſſe videtur.

CASTOR & POLLUX. fratres, Jovis filii, *Dioſcuri*, no-

ſtiores fere, quam ut deſcribi poſtulent. nam & nulli hujus expeditionis ſcriptori præteriti: nemo ignorat etiam Jovis & Ledæ filios dici. In qua generis origine hoc ſolum, quia omnia reliqua obvia, obſervandum, quod etiam Jaſoni conjuncti fuere ſanguine, & familiam Æolidarum contigerint. Æoli enim filia fuit Calyce, quæ ex Æthlio ſuſcepit Endymiona, cujus filius Ætolus, ejus Pleuron, hujus Agenor, illius Demonice, quæ ex Marte tulit Theſtium, patrem Ledæ, qui rex fuit Ætoliæ. vid. Apollod. lib. I, cap. 7. ſed in hoc ſtemmate hoc incommodum, quod cum tot gradibus Theſtius ab Æolo diſtet, vix ejus ætas temporibus hujus militiæ congruere poſſe videtur, cui tot dedere nomina poſteri Æoli, multo propiore gradu eum contingentes. Sed idem in *Ancæo*, *Iphiclo* & aliis occurrit, nec tales in hiſtoria Mythica nodi nos morari debent, cum ſæpe ejuſdem nominis avos & nepotes confuderint poetæ. poſſunt tamen Dioſcuri propius Æolo admoveri, ſi per patrem Tyndarea aſcendamus: ille enim filius Perieris, & nepos Æoli fuit, ut Apollodorus ſtemma deducit lib. I, cap. IX, § 5. qui tamen alios Perierem Cynortæ filium facere addit, qui fuit filius Amyclæ, & hinc lib. III, cap. X, § 3 & 4, ex Cynorta deducit Perierem, ex illo Œbalum, & ex eo Tyndareum. ſed hinc etiam perturbationes plurimæ temporum: ſi enim Tyndareus tertius ab Æolo, qui potuit Leda, quæ nona ab illo fuit, ejus conjux fuiſſe? neque etiam Caſtor & Pollux multo infra hæc tempora detrudendi, cum ante Trojani belli tempora jam e medio exceſſerint; quod ſi etiam verum ſit, qui credibile eſt, Helenam, eorum ſororem, belli Trojani potuiſſe eſſe auctorem? ſi enim illa filia Tyndarei fuit, decrepitam anum fuiſſe, cum Trojam irent Græci, oportet. quem nodum non aliter ſolvit Servius ad Virg. II Æneid. 601, niſi quod Pollux & Helena fuerint immortales, ideoque non ſenectæ vitiis obnoxii, Caſtor vero mortalis: quæ ratio nulli ſatisfacere poterit. Idem Servius obſervat, Argonautarum filios interfuiſſe bello Thebano: illorum vero filios Trojano. ſed inextricabiles hos nodos relinquamus. ſunt &, qui Caſtorem & Pollucem ex Nemeſi genitos, a Leda vero, jam anu ſcilicet, nutritos. vid. Had. Jun. I Animadv. 15. nihil præterea de nobiliſſimis his fratribus addere vacat, niſi, quia gemini & vultibus ita ſimiles fuerunt, ut vix dignoſci potuerint, ita

fuiſſe confuſos a veteribus, ut Caſtori tribuerit hic, quæ alius Polluci, & non modo *Caſtoras* utrumque vocaverint, ſed nec in artibus, quibus alteruter excelluit, conſtiterint. *Caſtora equo gaudere* Horat. II Sat. 1, & I od. 12, & alii dixerunt: ſed Polluci equum *Cyllarum* & equeſtrem ſcientiam Propertius lib. III, eleg. 21, & Virg. III Georg. 89, attribuunt, quia nempe equus ille communis utrique, & poetis hæc licentia permittatur. vide Serv. ad Virgil. VIII Æneid. 642. cum vero hanc ad expeditionem ſe Caſtor ſuccingeret,

Paſſus Amyclæa pingueſcere Cylluron herba,

ut noſter canit lib. I, 426; & *remo permutat habenas*, ut Statius VI Theb. 329. ubi vide Lutat. & præterea operæ pretium tuleris, ſi adieris Triſtani Tom. II Comm. pag. 268.

CEPHEUS. omnibus memoratus. Arcas fuit, & filius *Alei*, Lycurgi frater. vide in *Ancæo* priore, & *Amphidamante*. Apollodorus lib. III, cap. 9, ex Pelaſgo ejus originem deducit; inter filios vero Alei omittit Amphidamanta, ut vidimus. vide Pauſan. VIII, 4. Scholiaſtes vero Apollonii lib. I, 161 duos hoc nomine fuiſſe Arcadas dicit, unum Cephea, Alei filium; alterum, cujus Hellanicus meminit in Arcadicis, ſed, quis ille fuerit, non addit. fuiſſe potuit *Cepheus* filius Jaſii, quem memorat Aratus in Phænom. verſ. 179; quamvis Theon *Jaſidem* dici non a patre, ſed ab Io, Inachi filia, velit, ut ſit *Cepheus* Agenoris filius, de quo mox videbimus. & ita Germanicus verſ. 184:

Iaſides etiam cœlum cum conjuge Cepheus
Aſcendit.

Avienus quoque verſ. 440 *Jaſidem* vocat. ſed potuit Aratus Cephea Agenoris confudiſſe cum Jaſii filio: Jaſius enim Arcas memoratur Pauſan. lib. V, 8, & VIII, 48. ubi cum capite 47 narraſſet, Cephea, Alei filium, poſuiſſe Tegeæ templum Minervæ Poliatidi, potuit & illos confudiſſe Pauſanias. Tegeeum fuiſſe Cephea etiam noſter lib. I, 375 indicat. Pauſan. lib. VIII, 23 Caphyarum conditorem facit. Stephanus vel a Capy Anchiſæ patre, vel a Cepheo, oppidi nomen repetit. Cepheus vero ille habuit Æropum, & ille Echemum. Pauſan. VIII, 4 & 5, & ejus nomen apud Herodotum IX, 29 corruptum fuiſſe in *Phegea*, vidimus ad Ovid. IX Met. 412. Tertius vero *Cepheus* Andromedæ pater huc non pertinet: fuit enim ille, ut no-

tum, æqualis Perſeo, qui fuit proavus Herculis, & ita expeditioni huic intereſſe non potuit: unde dubito, an de *Cepheo* hoc capienda ſint, quæ ex antiquo, ſine dubio, ſcriptore profert Apoſtol. Cent. XVI, Adag. 22, ubi *comam Gorgones* dictam fuiſſe Aſteropæ, Cephei filiæ, dicit, quo tempore *Cepheus* cum Hercule militabat in Lacedæmonia, ut illo abſente incolumis civitas maneret. quæ de noſtro Cepheo narrat paulo aliter Pauſan. VIII, cap. 47. & tunc forte Herculem hoſpitio excepit Cepheus, ut Val. Fl. I, 375 dicit. ſed in fabula duos *Cepheos* eſſe confuſos puto. nam neque *Cepheus* rex Æthiopum potuit cum Hercule militare, cum ipſe jam grandævus eſſet, quo tempore Perſeus Andromedan liberavit, qui longe ante Herculis natales vixit. neque noſter *Cepheus* potuit comam Gorgones a Perſeo accipere, niſi fingamus per manus traditam ad eum deveniſſe. auctor ſupplementi ad Lexicon Moreri, *Cephea* filium *Alci*, pro *Alei* facit; niſi operis adſcribere malumus id mendi.

CIUS. hic a nullo ſcriptore Argonauticorum, quod ſciam, memoratur. ſed reperi hunc apud Strabonem lib. XII, p. 564, ubi narrat, Hylam Herculis comitem raptum fuiſſe fabulis tradi, ſimulque alterum comitem Herois *Cium* reverſum ab expeditione Colchica, urbem ſibi cognominem condidiſſe: quod Strabonis teſtimonium laudat etiam Euſtath. ad Dionyſii Periegeſin verſ. 806, ut Scherpenzeelii diligentia animadvertit. Caſaubonus vero ex Scholiaſte Apollon. I, 1346 obſervat, hunc *Cium* ducem Mileſiorum fuiſſe, & idem Scholiaſtes ad lib. I, 1175, urbem hanc coloniam fuiſſe Mileſiorum duce *Cio*, narrat, cujus meminit Scylax. Plura de hoc non obſervavi.

CLIMENUS, ſive CLYMENUS. Soli Valerio Flacco celebratus lib. I, 369. neque certi hic aliquid reperio, unde efficere liceat, quis ille fuerit. Vocat poeta eum fratrem *Iphicli*, quod incertiores nos facit, cum duo *Iphicli* fuerint inter Argonautas. ſi vero intelligatur *Iphiclus* Theſtii filius, ille frater Althææ, Clymenus vero Penei filius. & ita fuiſſet Iphiclus Clymeni avunculus, ſi ex Althæa natus fuit Clymenus, quia & Althæa fuit filia Theſtii. vide Apollodor. lib. I, cap. 8; qui & lib. II, cap. 4, § 11 vocat Minyarum regem *Clymenum*, quem auriga Menœci Perieres lapidis ictu vulneravit. patrem etiam Ergini fuiſſe

addit. ſunt tamen, qui in Valerii loco legant, *Clytium* & *Iphitum*, de quibus in illis Argonautis vidimus. Addit Apollodorus, *Clymenum* vulneratum, fuiſſe portatum in urbem Orchomenon. quare forte idem eſſe potuit, qui filius Orchomeni dicitur a Stephano in Ἀσπλήδων, cujus tres erant filii,

Ἀσπλήδων Κλύμενός τε, καὶ Ἀμφίδοκος θεοειδής.

vid. Euſtath. ad Homer. Iliad. B. 511. Scholiaſtes vero Apollon. lib. I, 185 dicit, patrem Ergini *Clymenum*, fuiſſe filium Presbonis, & Buziges filiæ Lyci. Presbon vero fuit filius Minyæ & Clytodoræ, teſte eodem Scholiaſte ad verſ. 230. Auctor vero Etym. M. dicit, Presbonem fuiſſe patrem Spledonis, ſive Aſpledonis, uxorem ei fuiſſe Steropen. ſed Stephanum Aſpledonis & ſimul Clymeni patrem Archomenon facere vidimus. diverſus ab hoc *Clymenus* Telei filius, cujus hiſtoriam narrat Parthenius in Eroticis cap. XIII, & Hyginus fab. CCVI, (ubi *Schœnei* filius dicitur) & CCLIII, & CCLV. Filia ejus *Harpalyce* vocatur, quo nomine aliam ardentiſſimo amore in *Iphiclum* incenſam fuiſſe refert Turneb. X Adv. II; ſed non addit, quo ex auctore hæc habeat. legitur vero apud Athenæum lib. XIV, cap. 3. quod ſi conſtaret, hinc appareret, cognomines illas mulieres confuſas; nam & Iphiclum Clymeni fratrem vidimus fuiſſe. præterea hunc *Clymenum* confuſum cum noſtro inde etiam colligo, quia filium, quem ex inceſto coitu cum Harpalyce filia ſuſtulit, Presbonem vocat Euſtathius ad Iliad. Ξ. verſ. 219, pag. 976, ita vocatum certe propter Presbonem, Clymeni patrem. quod vero addit Turnebus, canticum quoddam *Harpalycen* ab illa, quæ Iphiclum amavit, eſſe dictum, verum eſſe poteſt; quia alia Harpalyce, aut a patre interfecta, aut in Chalcidem mutata dicitur. hanc vero, forte ab Iphiclo repulſam, ex deſperatione ſe præcipitem dediſſe: & hinc de infelici ejus exitu canticum hoc fuiſſe compoſitum & celebratum, conjicere licet ex Euſtathio, qui ad Homer. Il. Φ. verſ. 280, pag. 1324, dicit *Calycen* eſſe canticum Steſichori, in quandam Calycen, quæ per amorem ſe præcipitaverit, eſſe et alterum *Harpalycen* de ſimilli caſu. quænam autem illa *Calyce* ſit, ignoro. fuit certe quædam ſoror Piſidices Calyce. ſed etiam eo nomine matrem Cygni, quem ex Neptuno ſuſcepit, fuiſſe, docebunt te notæ Heinſii ad

Ovid. Epiſt. XIX, 133; quamquam Munker. ad Hygin. fab. CLVII, pro *Calyce*, conjecerat *Harpalycen*, vel *Harpalen*. ſed matrem Cygni *Calycen* fuiſſe dictam hinc puto firmari poſſe, quia, quemadmodum Steſichorus, teſte Euſtathio, oden illam Καλυκὴν ſcripſit, ita idem poeta ſcripſit Κύκνον, quem citat Scholiaſt. Pindari ad Olymp. X, 19: Στησίχορος ἐν ἐπιγραφομένῳ Κύκνῳ ἱστορεῖ; quamvis *Calycen* illam non fuiſſe matrem Cygni ex Athenæo lib. XIV, cap. 3 colligere liceat, qui laudans Steſichori carmen, dicit fuiſſe illam captam Evathli amore, & repulſam ſe ex Leucade præcipitaſſe, & fuiſſe virginem pudicam & moribus probatiſſimis. Ita nihil in his certi, quo conſiſtamus, reperire licet. Sed hæc nos longius a *Clymeno* abduxerunt. alii videntur hunc eundem feciſſe, qui *Periclymenus*: (licet Valerius ambos referat) nam in *Ergino* videbimus, illum *Periclymeni*, & ab aliis *Clymeni* filium ſtatui: ut & mater Jaſonis & Admeti ab his *Clymene*, ab illis *Periclymene* vocatur.

CLYTIUS. Orpheo, Apollodoro & Flacco noſtro ignotus, ſed ab Apollonio lib. I, verſ. 86 cum Iphito ex Œchalia veniſſe dicitur: quare aliqui in Valerio eum *Clymeno* voluiſſe ſubſtituere vidimus. Scholiaſtes dicit, fuiſſe filios Antiopes. Pater ejus fuit Eurytus: ſic Hyginus vocat, quem regem Œchaliæ ex Homero fuiſſe Scholiaſtes dictus oſtendit, de quo in *Euryto* videbimus. Scholiaſtes ad Trachin. 268, ex Euryto quatuor filios proveniſſe ex Heſiodo docet, inter quos *Clytius* & *Iphitus*. Matrem vero vocat *Antiochen*. Ariſtocratem vero tres filios ſtatuere, prætetito Iphito, addit. idem ad verſ. 355, filios Euryti ab Hercule occiſos præter Iphitum, qui in Eubœam fugit, narrat. Hyginus matrem dicit fuiſſe filiam *Pylonis*. ſed & hunc ignoro; neque de *Clytio* aut *Iphito* plura indagare potui. *Pythius* male vocatur in vitioſis Diodori Siculi lib. IV, pag. 169, codicibus, cum *Clytius* dicendus ſit.

CORONUS. Cænei filius, de quo jam aliquid ſupra in *Cæneo* vidimus. memoratur hic Orpheo verſ. 136, Apollonio lib. I, verſ. 57, & Apollodoro: aliis omittitur. Duo autem fuerunt Cænei, unus Atracis, alter Elati filius, qui fuit pater noſtri *Coroni*. De hoc Elato & Cæneo non repetemus hic, quæ diximus ad Ovid. XII Met. verſ. 186. Rex fuit Perrhæborum, quorum urbs erat Gortyna. vide infra in *Po-*

lyphemo. Hic *Coronus*, Lapitharum dux, in bello contra Ægimium, Dorienſium regem, cui Hercules ſe ſocium addiderat, ab hoc fuit interfectus. Apollodor. lib. II, cap. VII, § 7. Hujus filius fuit Leonteus, qui in bellum Trojanum cum Polypœte, filio Pirithoi, profectus fuit; vide Homer. Il. B. 744, ubi Euſtathius dicit, eum cum Polypœte Lapitharum ducem fuiſſe factum, cum Pirithous cum Theſeo ad inferos expeditionem ſumſerat, rapiendæ Proſerpinæ cauſa. meminit ejus etiam Dictys lib. I, cap. XIII; & Hygino cap. XCVII reſtituit eum Micyllus. eundem inter procos Helenæ recenſet Apollodorus lib. III, cap. IX, § 8. An hic fuerit *Coronus* ille Lapitha, (ita enim puto vertendum, non *filius Lapithæ*) cujus filiam Lyſiden Ajax habuit uxorem, teſte Stephano in Φιλαιδα, neſcio. ex his vero Philæum natum dicit Stephanus. & Herodotus lib. VI, 35, Miltiadis genus ex Philæo, filio Ajacis, deducit, qui Athenienſi civitate donatus, tribuit nomen tribui Philiadarum : neſcio vero, unde in Indicem retulerint editores Philæum, Æaci filium; certe Herodotus id non dicit, ſed Ajacis filium fuiſſe. ut et Marcellinus, auctor vitæ Thucydidis, in initio, ubi Φιλαιας dicitur; ubi Hudſonus ex aliis ſcriptoribus Philæum hunc illuſtrat. alius *Coronus*, filius Therſandri, ab eodem Stephano memoratur in Κορωνείᾳ. qui Therſander fuit filius Polynicis. vide Schol. Apollon. IV, 1764, & Pauſan. IX, 34, qui & Therſandrum Siſyphi filium facit.

CYLINDRUS. hunc ſolus Hyginus refert inter filios Phrixi & Chalciopes, qui ex inſula Dia Argonautis acceſſere. ſed cum nemo alius eum hoc nomine agnoſcat, puto corruptum hoc nomen eſſe, & locum dandum CYTISORO, qui & *Cytorus* dicitur, quem omnes agnoſcunt, & Munkerus etiam ad fab. III, pro *Cylindro* reducendum credit, & Herodoto, Melæ, & aliis *Cytiſorum* dici docuit. Valer. Flac. V, 461, etiam *Cytiſorum* vocat: ut & Schol. Apollon. II, 390, & ipſe Apollon. lib. II, verſ. 1159. reliqua vide in *Argo.*

DEILEON. cum fratribus Autolyco & Phlogio acceſſiſſe Argonautis ad Sinopen dicitur ab Apollon. II, verſ. 957, & Val. Fl. V, 115. vide ſupra in *Autolyco.* hic, ut recte ſuſpicatus eſt Munkerus, corrupte apud Hyginum vocatur *Demoleon*, nam conjungitur fratribus ſuis, ut ab aliis ſcri-

ptoribus. hunc ſcriba, cum ſciret, ab Homero *Demoleonta*, filium Antenoris, memorari, pro *Deilonte* forte ſuppoſuit.

DEUCALION. memoratus Hygino & noſtro poetæ. Hygino eſt Minois & Paſiphaes filius. & certe inter filios Minois eo nomine unus memoratur ab Apollod. lib. III, cap. 1, § 2, & Diodoro lib. IV, pag. 183, & lib. V, pag. 238, ubi patrem Idomenei fuiſſe ſcribit. vide Meurſii Cretam lib. III, cap. 3. & ætas ſatis congruere pro ratione chronologica Mythici temporis poſſet. Nam & Theſeus huic expeditioni ſocius a multis refertur, quem Minois ætate vixiſſe conſtat: & filius Deucalionis, Idomeneus, Trojano bello interfuit, cum aliis filiis Argonautarum. tamen inter quatuor *Deucaliones*, quos recenſet Schol. Apollon. III, 1085, etiam ille Minois filius legitur. Fuit & alius, Abantis filius: qui ſi Abas Melampodis filius fuerit, ex Crethei genere, & cognatione Jaſonis fuiſſet *Deucalion*. vid. ſupra in *Cantho*. ſed de hoc nihil reperi. Valerio vero noſtro lib. I, 366 dicitur frater Amphionis, ex Hypſo matre, & Hypereſio patre, & veniſſe ex Pella. vide, quæ in *Amphione* notavimus. Et ille forte erit, cujus Hellanicus meminit apud Scholiaſten Apollonii, qui nihil de genere aut patria addit. Pius ad Valerii locum *Deucalionem* hunc extrudere conatur, & *Aſterium* pro eo inſerere, qui Phylaci & Clymenes filius, frater Alcimedis fuit. ſed forte adſcripſerit aliquis gloſſator *Deucalionem* Aſterii fuiſſe nepotem, Minois filium: nam ita Mythologi plures ſtemma deduxerunt; vid. Diodor. lib. IV, pag. 183, & Meurſ. Cret. lib. III, cap. 2.

ECHION. nulli omiſſus, filius *Mercurii* & *Antianiræ*, ut recte Schefferus apud Hyginum nomen matris correxit, ex Apoll. I, 56. Orpheus vero *Laothoen* Mereti filiam vocat verſ. 134, ubi tamen melius Μενετοῖο legeretur. & apud Hygin. 160 legendum puto, *Echion ex Antianira & Eurytus.* Geminos fuiſſe Eurytum & Echiona, ex Pindari IV, Pyth. 316 colligere licet, nam διδύμους vocat: Æthalides vero Mercurii filius ex alia matre fuit, ut vidimus. Ex Alope veniſſe dicuntur: cum vero variæ fuerint hoc nomine urbes, ut ex Stephano & Strabone eſt manifeſtum, Hyginus addidit, *quæ nunc vocatur Epheſus.* quæ verba an ab Hygini manu ſint, dubito. Plinius etiam lib. V, 29: *Alope &c. vocata eſt Epheſus.* ſed veroſimilius puto ex Alope Theſſa-

lica, ab Alope Cercyonis, vel Actoris filia, dicta, veniſſe: & ita quoſdam putare addit Hyginus. & Scholiaſt. Apollon. I, 51 dicit, eſſe civitatem Theſſaliæ, vel Magneſiæ: Orpheus πετρηέσσαν vocat, quod epitheton non convenire puto Epheſo, ſed bene urbi Theſſaliæ, quæ regio montoſa. Movere etiam aliquem poſſet, quod *Arcas* vocetur lib. VII, 543, & *Nonacria* proles IV, 141. ſed hoc ratione patris Mercurii, qui in Cyllene Arcadiæ natus fingitur, unde & *Parrhaſio galero* eum ornat Valer. IV, 137. Hic *Echion*, ut decebat Mercurii filium, aſtutus & doloſus, exploratoris munere inter Argonautas functus fuit. Idem videtur fuiſſe, qui inter apri Calydonii venatores cum fratre Euryto, vel Eurytione memoratur Ovidio lib. VIII Met. 312, & templum Matri Deûm feciſſe eidem dicitur lib. X, 686. Alios hoc nomine, ut ſocium Cadmi, & patrem Penthei, & alium conditorem Echinadarum hic recenſere nihil attinet.

ERGINUS. a nemine omiſſus, Neptuni filius Apollodoro, Hygino & Valerio Flacco I, 415. peritiſſimus rei navalis & ſiderum, & ideo quaſi vicarius Tiphyos, cui mortuo etiam ſucceſſit. vid. Val. Fl. V, 65, & VIII, 177. & hunc reſpicere illa Senecæ Medea 617

Tiphys in primis domitor profundi
Liquit indocto regimen magiſtro.

putat Maſerius ad Val. I, 416. Scaliger etiam ad Propert. III, 23 ſequentem verſ. 622 *Aulis amiſſi memor inde regis*, ad *Erginum* referebat. vid. in *Cantho* quæ diximus. Scholiaſtes vero Apollonii ad lib. I, verſ. 185, facit Clymeni & Buziges filium, nepotem Presbonis, de quo vide in *Clymeno*. qui cum & *Periclymenus* dicatur, Hyginus dicit, quoſdam eum Periclymeni filium dicere. Schol. Pindari etiam ad Od. IV Olym. 31, Clymeni filium facit. ſed idem ad Od. IV Pyth. 61, Periclymenum, Erginum & Ancæum filios Neptuni dicit. unde videmus, ſæpe filios & nepotes alicujus promiſcue dici a veteribus. quare Scholiaſtes Apollonii eum vocat Ποσειδῶνος ἀπόγονον. & poſſunt hæ diverſæ ſententiæ ita forte in unum coire, ſi ſtemma hoc modo deducatur. Minyas creditus filius Bœoti & Hermippes, ſed φύσει erat Neptuni; licet Hyginus fab. 157 ipſum Bœotum filium Neptuni faciat. Minyæ ex Clytodora erat Presbon, & Periclymene & Eteoclymene; Schol. Apollon. I, 230. ita ergo per Presbontem ex Neptuno deſcendit, & ſimul ex Minya-

rum familia. Minyam Chryſæ & Neptuni filium facit Pauſan. IX, 36, ejuſque filium Orchomenum: quo ſine liberis mortuo, regnum Orchomeniorum ad Clymenum Presbontis filium tranſiit. Presbon vero etiam filium Clymenum habuit, ut vidimus modo. per matrem etiam deſcendebat ex Neptuno: Clymeni enim uxor Buzyge, erat filia Lyci, teſte Scholiaſte Apollonii I, 185. Lycus vero etiam Neptuni filius, Hygino fab. 157, & Celænus, Ergei filiæ, quam tamen Atlantis filiam facit Apollodorus lib. III, cap. 10, § 1. Tzetzes vero facit filium Promethei & Celænus. Euſtathius ad Homer. Iliad. B. 511, pag. 206, *Erginum* Clymeni filium facit, qui Thebas vectigales fecit, & habuit, donec Hercules interfecerit *Erginum*, Aſcalaphi & Jalmeni progenitorem. *Ergini* filium dicit fuiſſe Azea, ejus Actora, cujus fuit Aſtyoche, & ex illa Aſcalaphus & Jalmenus. vide & Schol. Pindar. Olym. IV, 2, & Pauſan. IX, 17 & 37, ubi in fine agens de Aſtyoche, dicit eam fuiſſe filiam Actoris, Ἀξέως (corrige Ἀζέως) neptem, Clymeni proneptem, omittens *Erginum*. qui tamen, an idem *Erginus* fuerit, qui Argonauta, dubitari poteſt, quia ille Orchomeni rex dicitur, & ex Minyis deſcendere, noſter ex Mileto veniſſe refertur ab Apollonio, Orpheo & Hygino. ſi duo diverſi fuerunt, eorum res geſtas inter ſe confuſas ſtatuere debemus. Ceterum Orpheus verſ. 150 dicit:

Ἤλυθε δ' Ἐργῖνος, Βράγχου πολύπυρον ἄρουραν
Ἐκπρολιπών.

quæ interpres vertit, *venit etiam Erginus Branchi*, ita diſtinguens, quaſi filius Branchi fuiſſet. & ita cepit Eſchenbachius, qui hoc pugnare cum aliis dicit, qui Neptuni filium faciunt, quia erat ἀπόγονος Neptuni. ſed oportuerat ergo Branchi genus ad Neptunum deduxiſſe. ſed Branchus vulgo Apollinis filius ſtatuitur. vide Lutat. ad Stat. VIII, 198; quamvis ex Varronis, quem adducit, loco, potius ejus amaſius videatur fuiſſe, ut & ipſe Lutatius ait ad lib. III, 478, ubi Theſſalum dicit fuiſſe. vide & Conon. Narrat. XXXIII, & Menag. ad Laert. I, 72. quare illa Orphei ita capienda, ut conjunctim ἐκπρολιπὼν ἄρουραν Βράγχου vertantur, *linquens terram Branchi*, id eſt, Miletum, vel ejus agrum, ubi erat templum Branchi, de quo omnia nota, & dicta aliis hic non repetenda videntur.

ERIBOTES. Teleontis filius, memoratus Apollon. I, 73.

Valer. Flacco I, 402, & Hygino. Orpheus & Apollodorus eum ignorant. obſcurior hujus Argonautæ origo: nam hic Teleon, ejus pater, diverſus eſt a Teleonte, patre Butæ, ut notat Scholiaſt. Apollon. ad lib. I, 94. nec tamen indicat, quis fuerit, aut unde oriundus. Eundem etiam eſſe, qui *Eurybates* ab aliis vocatur, ex Herodoto notat idem Scholiaſtes ad verſ. 73, & Hyginus in fine cap. XIV dicit in reverſione periiſſe *Eurybaten* Teleontis filium, quem antea *Eriboten* vocaverat: eodem modo, ut mox *Erytum* & *Eurytum* eundem fuiſſe videbimus. Maſerius in notis ad Val. Fl. I, 401 ait, Orphea ſcribere, *Eriboten* Medicinæ peritiſſimum fuiſſe, & Oilei vulnus, a Stymphalidibus illatum, ſanaſſe. quæ ego reperire non potui in Orpheo, ſed ea narrat Apollonius lib. II, verſ. 1032 & ſeq. & tamen in Lexico Hiſtorico ſecure compilator hoc ex Orpheo quoque tradit. Pauſanias lib. V, 17 in ludis funebribus Peliæ *Euryboten* diſco certaſſe narrat. Sed quis fuerit ille, incertum eſſe ait. forte noſter Argonauta *Eurybates* fuit, quem non mirum nos ignorare, ſi Pauſanias nihil certi de eo reſciſcere potuit. An interciderit memoria hujus Herois, quia poſtea *Eurybatis* nomen ita infamatum fuerit propter furem & ſceleſtum *Eurybaten*, vel *Eurybatum?* (de quo vide Suidam & ibi annotata) ut *Eurybaten* pro ſceleſto homine uſurparent. ita utitur apud Athen. IX, 8 Amphis: vide & Alciphron. Epiſt. III, 20, & ibi notas Bergleri, & Euſtath. ad Homer. Il. A. 328, ubi mentio Eurybatis *κήρυκος*. dicit inde *εὐρυβατεύεσθαι* pro *πονηρεύεσθαι*, & proverbium Εὐρυβάτην πονηρὸν οἶδεν ἄνδρα, ortum, & ſic omnes Parœmiographi. *Eurybatum* alium, Euphemi filium, memorat Anton. Liberal. Metam. cap. 8.

EUMEDON. ſoli Hygino memoratus, cui Liberi Patris & Ariadnæ, Minois filiæ, filius eſt, & ex Phliunte veniſſe dicitur; ita ut frater fuerit Phlejantis & Staphyli, de quibus infra videbimus: nuſquam vero hunc Argonautam deprehendere potui, neque ejus nomen inter filios Bacchi; quos enumerat Scholiaſtes Apollon. III, 996. quare eum indagandum felicioribus relinquo.

EUPHEMUS. nulli Argonauticorum ſcriptorum neglectus, Neptuni filius, Tænarius patria, ex Europa, Tityi filia, Hygino. Tænari rex fuiſſe dicitur Scholiaſti Pindari Od. IV Pyth. 61 & 307, in qua ode multa ejus mentio. Ad

verſum 77 Neptuno ex *Europa* dicit natum, in ripis Cephiſi fluvii. ad verſ. 15 & 39 idem Scholiaſtes dicit natum ex *Mecionice*, Eurotæ filia, duxiſſe vero uxorem Alcmenes filiam Laonomen, & ex illo ſeptimum decimum eſſe *Battum*, ſive *Ariſtotelem*, qui condidit Cyrenem. Ad verſum tamen 455 dicit, *Euphemum* in Lemno coiiſſe cum *Malache*, & inde natum *Leucophanem*, unde *Ariſtoteles* deſcendit, progenitor Arceſilai Cyrenæi, in cujus laudes hymnum illum cecinit Pindarus; & ibi plures *Euphemos* recenſet Scholiaſtes. Tzetz. ad Lycoph. Alex. verſ. 887, etiam filium *Mecionices*, ſive *Doridos*, (ita enim viri docti emendant pro *Oridos*) filiæ Eurotæ, facit, & eadem fere, quæ Scholiaſtes Pindari, narrat. vide & Jo. Tzetz. Chiliad. II, 43, ubi triplicem matrem Europen & Mecenicen filiam Orionis, & Orida agnoſcit. Illa *Oris* vero incognita Mythographis, Neptuni vel uxor vel amica, poſſet forte eſſe filia Ori, quæ & *Leis* dicitur, ex qua Neptunus etiam *Althepiam* ſuſcepiſſe dicitur Pauſaniæ lib. II, 30. in Apollonii editionibus lib. I, verſ. 179. legitur vulgo,

Ταίναρον αὐτ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανε.

ubi certe, ut jam obſervavit Simſon in Chronico, Εὔφημος legendum eſſe conſtat, quia de hoc Argonauta ibi agere certum eſt: nam & *Polyphemi*, Elati filii, jam meminerat verſ. 40. Quam indiligenter vero Hœlzlinus in Argonauticis verſatus fuerit, notæ ejus ad hunc locum probant. cum enim *Euphemum* ab aliis dici annotaſſet, addit, Orphea eum ne nomine quidem noviſſe: cum diſertim ejus mentionem faciat verſ. 203.

Ταιναριεὺς δ' Εὔφημος ἔβη &c.

ſed video, quid fefellerit virum minime malum: neglectis Græcis Orphei verbis, Latinum interpretem conſuluit, qui cum εὔφημος, litera prima minori ſcriptum, deprehendiſſet, vertit

Tænareuſque CELEBRIS venit, Meleatidis vertices
Linquens Aulonas.

& hanc verſionem retinuit Eſchenbachius. Pradierius omiſit totum τὸ Εὔφημος: & hinc jam novum nobis Argonautam protulerunt *Tænarea* dictum, qui epitheto εὐφήμου, id eſt, celebris, ornatus ab Orpheo eſſet. hinc Carrion, Græcarum, ut vidimus, literarum rudis, in Catalogum ſuum ex Orpheo *Tænarium* retulit, quem infelix Alardus in ſua edi-

tione *Tænaricum* juſſit vocari. Cribellus vero in verſione metrica totum *Euphemi* nomen omiſit, ut & Pradierium feciſſe diximus. Egregium certe exemplum, ex quo diſcere omnes poterunt, quanti habendæ ſint verſiones, etiam doctiſſimorum virorum, & quam turpiter errent, qui illas conſulere ſemper ſolent. Quo vero maxime celebratus eſt hic Euphemus, βῶλος ille, gleba fuit, quam in mare jecit, & unde nata inſula Calliſte, poſtea Thera dicta, quod in locis ex Scholiaſte Pindari & Tzetze laudatis refertur, & ab Apollon. IV, 1562 & 1755; ubi vide & Scholiaſt. Præterea dicitur potuiſſe pedibus mare ita permeare, ac ſi per terram iter faceret (quod idem de Orione narratur) quod explicat Tzetz. Chil. II, 41, quod fuerint gubernatores celeberrimi, qui nunquam mari damnum aut naufragium fecerunt. nam noſter Euphemus πρωρεὺς navis Argi etiam dicitur Schol. Pindar. d. l. verſ. 36 & 61, & apud Apollon. lib. II Euphemus columbam de prora dimittit, ut iter per Symplegadas aperiret. Euphemi etiam in ludis Peliæ meminit Pauſan. lib. V, 17, & dicit comitem Jaſonis fuiſſe. ex hoc forte deſcendiſſe *Euphemum* ſuſpicor, cujus mentio fit apud Schol. Pind. od. Pyth. IX, 185, ubi de Antæi urbe Iraſſa agit; quem diverſum eſſe ab Antæo, ab Hercule victo, ſed alterum ait eſſe, ᾧ συνῴκησε Εὔφημος, οὗ οἱ ἀπόγονοι μετῴκησαν εἰς Κυρήνην. Euphemi etiam memoriam conſecravit cl. Gronovius, & Theſauri Græci parti primæ fol. Ggg. inſeruit. nec monuit, unde ejus imaginem petierit, neque etiam ex illa quidquam deſumi poteſt, unde Euphemi efficiatur imago, cum vel Neptuno ipſi, vel cuicunque Neptuni filio, eodem jure accommodari poſſit. *Euphemum* vero ita effingere, ut in piſcem deſinat, mihi indecorum videtur, & Tritonem, Glaucum, aut alium marinum Deum, hac forma exprimere magis ſolitos crediderim. *Euphemum* Eurybati alicujus patrem modo in *Eurybato* vidimus, nobis non aliunde notum.

EURYALUS. Meciſtei filius. hunc ſolus inter Argonautas numerat Apollodorus, ceteris indictum. *Meciſteus* vero fuit filius *Talai* & *Lyſimaches*, Abantis filiæ. *Talaus Biantis*, & ille *Amythaonis*, qui *Crethei*, ita ut fuerit ex Cretheidis, unde & Jaſon. ſed ille in tempora aliquantulum ſeriora incidit: nam & adverſus Trojam navigaſſe dicit Apollodorus lib. I, cap. IX, § 13, & Pauſanias II, 30, cum Diomede

illum Argivos ad Trojam duxiſſe ait ex Homer. Il. B. 564; quamvis ille poſſet alter, & forte ex ejus poſteris, fuiſſe: nam & fratres ejuſdem Meciſtei, Adraſtus & Parthenopæus, qui fuit inter ſeptem duces contra Thebas, (quamquam Parthenopæum Apollodorus lib. II, cap. VI, § 3, faciat Melanionis filium, ſed Pauſ. II, 20, & IX, 18, Talai) & ſoror Eriphyle nupta Amphiarao, qui eidem bello interfuit. Quare ſi noſter fuit filius Meciſtei, ſimul nepos cum avo Talao & duobus avunculis majoribus, Arejo & Leodoco, interfuiſſet huic expeditioni. & poſt Trojana tempora vixiſſe hunc adhuc *Euryalum*, patet ex Pauſan. II, 18, ſi conferatur cum cap. 30. nam ille tutor Cyanippi fuit, qui a Biante Amythaonis filio quinque ætates diſtabat. alium *Euryalum* Neptuni & Evippes filium memorat Parthenius Erotic. 3; ſed & ille tempore poſterior. Apollodorus etiam libro III, cap. VII, § 2, inter Epigonos recenſet *Eurypylum* Meciſtei filium, ubi certe *Euryalum* legere præſtat: ut idem inter Epigonos & Trojani belli duces memoratus fuerit, itidem ut Diomedes, cui jungit eum Pauſanias. *Meciſteus* vero occiſus a Melanippo dicitur Pauſan. lib. IX, 18. Ego vero puto, Apollodorum in hoc viro errare, aut illum Catalogum malam manum paſſum. Unicum addendum, hunc Euryalum intelligi in obſcuro Ibidis Ovidianæ loco verſ. 287, credidiſſe Palmerium Exercit. ad Scriptor. Græcos pag. 373; de quo vide notas ad illum locum. *Euryalus* inter procos Hippodamiæ etiam refertur a Schol. Pindar. I Olym. 126, & Pauſan. lib. VI, 21, ſed qui ejus patriam & parentes ſe ignorare addit. An ille lateat apud Etymol. M. ſcriptorem in Εὐρυάδης, qui dicitur εἷς τῶν μνηστήρων? an legendum Εὐρύαλος? non audeo definire, nec etiam, an ex eo Pauſanias & Scholiaſtes ſint corrigendi. videant eruditi.

EURYDAMAS. Hygino filius *Iri* & *Demonaſſæ*. frater ergo fuit Eurytionis, de quo mox agemus. addit Hyginus, alios filium *Ctimeni* facere, qui juxta locum Xynium Dolopeidem urbem inhabitabat. quæ ex Apollonii lib. I, 68 ad verbum fere verſa ſunt. ubi & Scholiaſtes notat *Ctimenen* urbem Theſſaliæ, & Dolopeida vocari Theſſaliam. Orpheus dicit verſ. 164, veniſſe a lacu Bœbeide, juxta Peneum & Melibæam. unde eundem locum duplici nomine appellatum fuiſſe docuimus ad Valer. Fl. I, 449. nihil præterea

de hoc *Eurydamante* reperi, quem Valerius noſter omiſit; ut & Apollodorus, qui lib. II, cap. I, § 5, memorat *Eurydamanta* quendam, cui contigit Pharte, filia Danai. alius *Eurydamas* inter procos Penelopæ Homer. Odyſ. Σ. 296, & alibi memoratur. vide cl. Drakenb. ad Sil. II, 178. Alius ſomniorum interpres, cujus filios Abantem & Polyidem interfecit Diomedes Il. E. 148. Tryphiodorus inter Heroas, qui in equo Trojano conditi fuerunt, memorat *Eurydamanta*, Peliæ filium, verſ. 177; quem inter poſteros Peliæ non reperio, niſi alius Pelias, quam Crethei filius, fuerit. *Eurymas* quidam a Polluce interfectus, quia erat calumniator, *διάβολος*, refertur ab Heſychio. ubi forte *Eurydamas* præſtaret legere, quod nomen notius. Olenium fuiſſe dicit idem auctor.

EURYTION. ſæpe cum *Euryto* confuſus, memoratur Apollonio, Hygino, & Valerio Flacco I, 378. Hygino eſt *Iri* & *Demonaſſæ* filius, itaque frater Eurydamantis. *Irus* vero frater Menœtii, & filius Actoris; Schol. Apoll. I, 71; ergo Patrocli patruelis. Hunc a Peleo (quem antea expiaverat, & cui filiam Antigonen dederat, teſte Apollodor. lib. III, cap. 12.) in venatione apri Calydonii interemtum dicit Apollodor. ibid. & lib. I, cap. IX, § 2; quod modo videbimus de *Euryto* dici ab aliis. ſed & Tzetz. ad Lycoph. 175, *Eurytionem*, Iri filium, occiſum a Peleo, ſed in alio venatu, & *Irum* fratrem Polymelidis, prioris Pelei uxoris, fuiſſe ait. quod reperire ſe potuiſſe negat Munker. ad Ovid. XI Met. argum. fab. 8. ſed ſi legiſſet totum locum Tzetzis, vidiſſet, illum, cum ante dixiſſet, Pelea purgatum ab Euryto, deinde in fine notæ addere, eum *Eurytiona* Argonautam in venatu occidiſſe. quod etiam Ariſtides Orat. II Platon. tom. III, pag. 206, probat. idem narrat Anton. Liberal. cap. 38. Ovidius VIII Met. 311, *Eurytionem* etiam inter Meleagri ſocios in venatu memorat: ſed quia *Echioni* adjungit, poſſet videri pro *Euryto* poſuiſſe. *Eurytionis* etiam meminit Anonymus de XII Laboribus Herculis ab Allatio editus c. V, qui liberavit Mneſymachen, Oleni filiam, cum ab Augiæ ſtabulo purgato ad Euryſthea rediret. confuſionem vero *Euryti* & *Eurytionis* inde proveniſſe puto, quia Græci patronymica non tantum in *ίδης*, ſed & *ίων* formabant, ut vidimus in *Actorione*. & ita *Eurytus* habuerit filium *Eurytum*, ut Maſerium, ſed neſcio unde, affirmare

vidimus: & *Eurytion* eſſet *Eurytides*, id eſt, Euryti filius. certe apud Virgil. X Æneid. 499 omnes editi fere habent,

Quæ Clonus Eurytion multo cælaverat auro.

ſed Pierius juſſit reſcribi *Eurytides*, quod unum idemque notat. Alius *Eurytion* Centaurus, qui Pirithoo ſponſam eripuit, eſt apud Pauſan. lib. V, 10, & VII, 18. quem dubito fuiſſe illum, mox ex Antonino Liberali productum, quia ibi cum rege Oleni memoratur. Hyginus f. 32, dicit eum ab Hercule occiſum, quia Deianiram petiit. & fab. 33 dicit Ixionis & Nubis filium fuiſſe. ejus & Homerus Odyſſ. Φ. 295 meminit: ubi Scholiaſtes videndus.

EURYTUS. nulli prætermiſſus, ſed varie tamen ſcriptus. Valer. Fl. I, 439, Hygino, & Apollodoro *Eurytus*. ſed Orpheo 133, Apollonio I, 52, Pindaro IV Pyth. 319, *Erytus*. Eundem tamen eſſe patet, quia frater geminus Echionis, filius *Mercurii* & *Antianiræ* dicitur Hygino fab. XIV & CLX, & Pindaro, & aliis. ſed proprie Εὔρυτος ab εὖρυς, ut Etymolog. M. auctor in Αἴπυτος, Ἔρυτος poetica licentia. hic in ludis funebribus Peliæ ſagitta vicit, teſte Hygin. fab. 273. Diverſus vero ille eſt ab *Euryto* Œchaliæ rege (filio Stratonices, ſecundum Heſiodum, cujus fragmentum apud Schol. Sophoclis in Trach. 268 legitur, quod Æſchyli Schol. perperam credo tribui ab Heſiodi editoribus) patre *Iphiti* & *Clytii* Argonautarum, ut ab Hygino & Apollon. I, 88 dicitur. Hic magiſter Herculis, ſagittas ut mitteret, dicitur fuiſſe a Theocrit. Idyl. XXII, 105. quem locum reſpicit Euſtathius ad Homer. Il. B. 505. cujus filiam Iolen, occiſo patre & filiis, captivam abduxit Hercules. Apollod. lib. II, cap. VII, Schol. Sophocl. Trachin. 268 & 355, Pauſan. II, 15, Diodor. lib. IV, p. 165 & 169. Præterea Athen. lib. IX, 2 dicit, *Eurytum* & filium ſublatos ab Hercule, quia ab Eubœenſibus tributa exigebant. de hoc *Euryto* eſt epigramma ſextum Callimachi, ubi neſcio quid venerit in mentem Annæ Fabri filiæ, quæ *Euryton* urbem eandem, quæ Œchalia dicitur, explicat, cum ſit viri nomen, patris Ioles, ſed Homerus d. l. Euryti urbem Œchaliam vocat. vide ibi Euſtathium. ſed fatale eſt Gallis nominum nomina in urbes transformare. Homerus vero dicit ibi, Thamyrim venire ex Œchalia ab Euryto. quo reſpicere puto Lucianum in Piſcatore, pag. 202 Ed. Bourd. ubi Thamyrin jungit *Euryto*, & illum innuit Muſas canen-

di arte, hunc Apollinem jaculandi, provocare auſos. idem vero eſt ille *Eurytus* Dryopis pater Ovidio IX Met. 356. illa enim ſoror *Ioles* fuit. Alius etiam *Eurytus*, Actoris filius, frater Cteati fuit, qui Molionides dictus, de quo vide ſupr. in *Actorides*, & ad Ovid. lib. VIII Met. 308. filius ejus *Thalpius*, qui inter procos Helenæ refertur ab Apollod. III, cap. IX, § 8. Hic *Eurytus* Pelea a cæde Phoci luſtravit, ut narrat Tzetz. ad Lycoph. verſ. 175, & deinde cum intereſſet venationi apri Calydonii (ut vidimus ex Ovidio, quamvis Hygin. fab. 173, non *Eurytum*, ſed *Hippaſum* Euryti filium recenſeat) ibi a Peleo imprudente & invito occiſus fuit. vid. Schol. Ariſtoph. in Nubib. verſ. 1059, quod alii *Eurytioni* adſcribunt. *Eurytus* etiam Melanei filius memoratur a Pauſan. lib. IV, 33; a quo Melaneo Eretriam, urbem Eubœæ, Melaneida appellari ait Stephanus in Ἐρετρία. hunc puto ſæpe confuſum cum *Euryto*, Œchaliæ rege, ſi non idem ſit: nam cum plures Œchaliæ fuerint, incertum de qua intelligenda Œchalia Euryti. vid. Euſtath. ad Hom. d. l. *Eurytus* vero ille Melanei F. fuit in Meſſeniaca regione cultus. vid. Pauſan. II, 3, qui & Epaminondam, novam urbem conditurum, præcipue Heroa *Eurytum* invocaſſe dicit cap. 26, & ejus oſſa ſervari in loco, qui olim Œchalia, poſtea lucus Carnaſius dicebatur, cap. 33. *Melaneus* vero præſtantiſſimus artis ſagittandi, ut Apollinis filius diceretur; Pauſ. IV, 2. Maſerius ad Val. Fl. I, 439 incertus eſt, quem ſtatuat *Eurytum*, an patrem Ioles, (quem Euryti alterius filium neſcio unde facit) an *Melanei* (quem *Meneleum* vocat) filium, tamen *Eurytum*, *Echiona* & *Æthalidem* Mercurii filios, & inter ſe fratres. ſed *Æthalidæ* alia fuit mater, ut vidimus. denique *Eurytum* regem Cyrenarum a Phylarcho vocari, quem alii *Eurypylum* vocaverunt, docet nos Schol. Apollon. IV, 1561.

GLAUCUS. Hic, cujus parentes varie traduntur, Deus marinus factus, a nemine, quod ſciam, Argonautis accenſetur, niſi a Poſide, quem laudat Athenæus lib. VII, cap. 12, qui Argo navis fabrum & gubernatorem fuiſſe ait, & in pugna navali cum Tyrrhenis nullo vulnere fauciatum; ſed in imo maris apparuiſſe, & Deum factum. Apollon. lib. I, 1310, poſt Herculem relictum, apparuiſſe *Glaucum* e fundo maris, fingit, qui Herculis & Polyphemi fatum non

eſſe, ut in Colchida pernavigarent, doceret eos. reliqua de hoc & aliis *Glaucis* hic præterimus, niſi ſi quis de *Glauco*, Siſyphi filio cogitare velit, qui filius Æoli fuit. & ita *Glaucus*, proximo genere Jaſoni conjunctus, potuit ſocius itineris fuiſſe.

HERCULES. Thebanus, Jovis & Alcmenæ filius, de quo verba perdere non licet, quia nulli non dictus, ſed notiſſimus eſt. Argonautis ſe aſſociaſſe, omnes ſcribunt. immo Ptolem. Hephæſtion lib. II tradit, Herculem ædificaſſe navem, quæ Argo a Jaſonis filio Argo, quem amabat Hercules, dicta fuit, & propter quem cum Jaſone navigarit. quæ non congruunt reliquis, qui Jaſonem in prima juventa, antequam uxorem duxiſſet, a Pelia extruſum omnes uno ore tradunt. Huic voluiſſe omnes Argonautas ſummam imperii tradere, ſed ipſum Junonis conſilii conſcium, pronuntiaſſe Jaſonem ducem, tradit Hyginus & Orpheus verſ. 293; ubi Ariſtotelem lib. III Polit. 13 contrarium tradere notavit Eſchenb. & noluiſſe parere Jaſoni, itaque deſeruiſſe Argonautas. Anton. Liber. c. XXVI, creatum etiam ducem, affirmat; ut & Diodor. Siculus lib. IV, p. 171, ut Jaſon demum poſt Herculem relictum ſummæ rei præfuerit. Scholiaſt. Pindar. ad IV Pyth. 305, relictum ab Argonautis, cum aquatum exiiſſet; noſter & alii, dum Hylam quæreret, tradunt. Varias ſententias recenſet Schol. Apollon. ad lib. I, 1290. inter quos Heſiodi etiam refertur; ſcilicet jam relictum fuiſſe in Magneſia, in loco, qui ἀπὸ τῆς ἀφέσεως dictus eſt Ἀφέτας. cui & conſentit Stephan. in Ἀφέται; quod vix veroſimile videtur Berckelio, nec mihi. alii in Colchos perveniſſe, & viciſſim omnes Argonautas ipſi affuiſſe in bello contra Laomedonta, ſcribunt. vide Schol. Pindar. III Od. Nem. verſ. 64. reliqua de ejus laboribus obvia. & an illi hac expeditione priores fuerint, vidimus ad Val. I, 34. reliqua de Hercule præterimus, ne tædio delicatis ſimus, quibus jam has Mythicas nugas faſtidium creare credimus.

HIPPALCIMUS. *Pelopis* & *Hippodamiæ*, Œnomai filiæ, filius, ex Peloponneſo, Piſis veniſſe auctor eſt Hyginus cap. XIV. Apollodorus vero lib. I, cap. IX, § 16 Peneleum filium *Hippalmi* inter Argonautas recenſet, quem filium hujus *Hippalcimi* fuiſſe credo, & nomen vel varie poſitum, vel a ſcribis corruptum per compendium ſcripturæ

puto. Schol. Euripidis ad Oreſt. verſ. 5, ubi ſtemma Pelopis habet, inter ejus filios etiam habet *Hippalmum*, quem deſcripſit fere ad verbum Apoſtol. cent. XVIII, adag. 7. (male Munkerus eo numero citat Zenobium, cujus tantum VI Centurias edidit Schottus.) *Hypalcum* vocat idem Hygin. cap. 84 & 97. *Hippalcmum* Schol. Pindari ad I Olym. 144; ſed Munkerus omnibus præfert *Hyppalcimum*. nec mihi diſplicet. nam & hoc nomen Diodorus habet lib. IV, pag. 188, ex quo aliud forte ſtemma hujus Argonautæ confici poſſet, ut non fuerit Pelopis filius, ſed Itoni, & ille Bœoti, hic Arnes, quæ filia Æoli ſecundi, ille Hippotis, qui Mimantis, & hic denique Æoli primi, ex quo etiam Jaſon & plurimi Argonautæ; ut fuerit ergo conjunctus ſanguine Jaſoni & Cretheo, qui filius Æoli. deſcendere quidem longius infra tempora hæc videtur ſtemma illud; ſed & ſimilia habuimus in aliis. vide in *Ancæo*.

HYLAS. Cui non dictus Hylas puer? vulgari dicto ex Virgil. III Georg. 6 celebratur. Theocrito, Virgilio, Apollonio, Valerio, Propertio, Statio, & multis aliis memoratus. vide Barth. ad Stat. V Theb. 443. Pater ejus Hygino dicitur *Theodamas*, & mater *Menodice* Nympha, Orionis filia. de patre conſentiunt etiam alii. & inde *Theodamanteus* dicitur Propertio lib. I eleg. XX, 6. Scholiaſtes Apollon. I, 131, Theodamantis, filii Dryopis, filium facit. Hellanicum tamen *Theomenitem*, Theodamantis filium, patrem facere notat. ubi tamen Hœlz. legit Θειομένητα ἀντὶ Θειοδάμαντος καλεῖ. idem Schol. ad verſ. 1207, Θειομένους ex Hellanico profert. ubi etiam varias ſententias affert. Antoninus Liberal. cap. XXVI, *Ceycis* filium facit. De quo certius aliquid conſtaret, ſi ſupereſſet Heſiodi liber de Κήυκος γάμῳ, quem laudat Scholiaſt. Apoll. ad lib. I, 1290; & ita fuiſſet ſanguine conjunctus Herculi Hylas: nam Ceyx filius fratris Amphitryonis, teſte Schol. Sophocl. Trach. verſ. 39. alios *Hylam* cum *Hyllo* confudiſſe, ex eodem Apollonii Scholiaſte patet. unde fortaſſe illa opinio de Ceyce venit. nam *Hyllum* apud Ceycem regem Trachinis conſediſſe, ſcribit Diodor. lib. IV, pag. 169, & Pauſan. lib. I, 33. Mater ejus *Menodice* ab Hygino dicitur, ubi Munckerus mavult *Mecionicen*, Orionis filiam vocari ex Tzetz. Chil. II, 43, quam vidimus a quibuſdam haberi matrem *Euphemi*. ſed hoc in medio relinquimus.

Orpheus verſ. 224 dicit, Hylam veniſſe ad navem Argo, cum illo *Anchiſleo*, ſive *Acaſto* (de quo vide in *Anchiſleo*) ex Pheris, in quo etiam hæremus, quia alii omnes ex Dryopibus circa Œtam veniſſe ſcribunt.

JASON. *Æſonis* filius, dux & princeps expeditionis Argonauticæ, nulli non notus & celebratus. ideoque ejus ſtemma, quod cum omnibus Cretheidis & Æolidis commune habuit, non deducemus operoſius, nec vitam ejus omnem enarrabimus. de matre ejus ingens diſcordia veterum. Communiter *Alcimede* Phylaci filia ſtatuitur. Ita Apollon. I, 47, Valer. Fl. I, 295, Hyginus f. 3 & 14, & Ovid. Epiſt. VI, 105. Hujus etiam genus incertum. Hyginus dicit *Alcimeden* filiam eſſe *Clymeni*, ubi Mezeriacus ad Ovid. Epiſt. VI, initio legendum cenſet *Clymenes*, quæ mater *Alcimedes* fuit, filia Minyæ. vide Schol. Apollon. I, 230, & ſupra in *Admeto*. de *Phylaco* videbimus in *Iphiclo*. nam *Clymene* Phylaci uxor etiam Scholiaſti ad verſ. 45; ubi addit, Herodotum *Polyphemen* vocare matrem Jaſonis, quæ erat filia Autolyci, quæ a Tzetze Chiliad. VII, 96, dicitur *Polymele*, & cujus ſoror *Alcimede* a quibuſdam mater Jaſonis habetur. Ab Apollodoro lib. I, cap. IX, § 16, *Polymede* Autolyci filia vocatur, ut etiam vocat Tzetzes ad Lycoph. 872, qui ibi etiam alios *Arnen* matrem facere ſcribit. quod nomen in Æolidarum familia uſitatum fuiſſe docet alia *Arne* ex Æoli genere, quam vidimus ex Diodoro Siculo in *Hippalcimo*. hanc Arnen ab aliis *Scarphen*, vel ut legitur in variis lectionibus nuperæ editionis, *Scraphen*, vel *Scaphen*, vocari ait Tzetzes. ab *Arne* Æoli ſecundi filia, & matre Bœoti, urbs Theſſaliæ *Arne*, teſte Stephano, dicta, de quo oraculum, Ἄρνη χηρεύουσα μένει Βοιώτων ἄνδρα, cujus ſenſus obſcurus: ſed poteſt ad filium ejus *Bœotum* forte referri. ut enim *Arne* nomen habuit a patre, qui abundabat ovibus, ita illa ex Neptuno filium pariens *Bœotum* appellavit a bobus. vid. Euſtath. ad Homer. Il. B. 507, & ad Dionyſ. Perieg. verſ. 426, & Etymolog. M. auctorem in Ἄρνη & Βοιωτός. alii tamen *Arnen* urbem deducunt ab *Arne*, nutrice Neptuni. v. Tzetz. ad Lycoph. 644, & Etym. M. in Ἄρνη. Præterea *Andron* matrem Jaſonis fecit *Theognetem*, Laodici filiam, teſte Scholiaſte eodem Apollonii. denique Tzetzes d. l. Chiliadum, alios fuiſſe addit, qui matrem Jaſonis facerent *Rhœo*, Staphyli filiam. Staphylus

autem Bacchi filius duas habuit filias, *Hemitheam* & *Rhœo*; vide Parthen. Erotic. cap. 1. *Rhœo* autem dicitur concubuiſſe Apollini, & ex eo genuiſſe *Arium*, qui pater fuit *Œnotropa um*. vide Tzetz. ad Lycoph. 570. ſed nuſquam legi eam Æſoni conjunctam. immo ipſe Staphylus inter Argonautas ab Apollodoro numeratur; ergo avus ſub nepotis ductu militaſſet. Vide in *Staphylo*. Hæc jam omnia, tam diverſa, inter Mythicos hos ſcriptores componere, non eſt noſtrum; ſed multa forte nomina fuit mater Jaſonis ſortita, inter quæ aliqua Epithetorum vice potuerunt fungi: ut in aliis Heroibus & Heroinis uſu venire ſolet. Ceterum Jaſona metu Peliæ Chironi nutriendum datum, plurimi inter jam adductos tradunt, & Pindarus Od. Nem. III, 93, & præcipue IV Pyth. 135, quo hymno Jaſonis præcipue laudes canuntur, & ejus pulchritudo & forma verſ. 153 celebratur; de reliquis ejus factis, quæ Argonauticam expeditionem ſecuta ſunt, non agemus. ſed unum adhuc notari meretur, in quo temporis ratio non bene obſervata videtur ab omnibus fere poetis. Staphylus dicitur fuiſſe Bacchi & Ariadnæ filius, Thoas vero ejus frater ex eadem Ariadna genitus: ita ut Hypſipyle, quæ ſe *Minoo Thoante* natam gloriatur apud Ovid. Ep. VI, 114, ſi Jaſon ex Rhœo, Staphyli filia, fuiſſet natus, ejus fuiſſet patruelis. at in hoc illud primum offendit in Staphylo, qui ætate prior Argonautica expeditione, ipſe ſub nepote militare non potuit. At alterum majus, quod Theſeus ipſe inter Argonautas non tantum numeretur, a quo Ariadnam in Naxo deſertam Bacchus demum duxit, & hanc prolem ſuſcepit, ſed plura geſſiſſe dicitur, quæ in unam hominis ætatem conferre durum eſt. nam plurima demum poſt Argonauticam expeditionem acciderunt. Herculi enim jam provecta ætate adhæſit Theſeus juvenis, & in Amazonia expeditione ſocius fuit, interfuit huic expeditioni, venatui apri Calydonii, & rapuit Helenam, quæ circa Trojanum bellum maxime floruit: quæ omnia ſi Theſeus tot temporum intervallis diſtincta egit, ſecula duo vel tria vixiſſe debuit. Certe Jaſon Hypſipylen neptem Ariadnes nec videre, nec Lemni cognoſcere potuit. licet noſter poeta huic difficultati occurriſſe videri poſſit per ea, quæ de Ariadna memorat lib. VII, 279, ubi Jaſonem Ariadnæ mentionem facientem inducit.

IDAS. nulli omiſſus, Meſſenius, Apharei & Arenæ,

Œbali filiæ, filius, frater *Lyncei* Hygino fab. XIV, ubi Munckerus de ejus avo *Œbalo* (nam vitioſe *Bubalus* legebatur) videndus. Et hic ex poſteris Æoli. Aphareus enim Perieris filius, nepos Æoli. Apollodor. lib. I, cap. IX, § 5, ubi Tyndarea etiam filium facit Perieris, ut ita Caſtor & Pollux fuerint patrueles Idæ & Lyncei. Et hinc Schol. Apollon. I, 151 dicit, illos cum Dioſcuris ſimul adoleviſſe. Alii hunc Perieren, patrem Apharei, filium faciunt Cynortæ, ut Apollod. III, cap. X, § 3. Et Pauſanias lib III, cap. 1, Cynortam facit Œbali patrem, hunc vero duxiſſe Gorgophonem, Perſei filiam, & inde natum Tyndarea, ita ut Gorgophone bis nupta fuerit, prius Perieri, unde Aphareus, deinde Œbalo, unde Tyndareus, ut fuerit frater Apharei ὁμομήτριος; & lib. IV, 2 Perieri dat ex Gorgophone duos filios, Apharea & Leucippum; Apharea vero condidiſſe Arenen urbem, dictam a filia Œbali uxore ſua: Apharei autem filios Idam & Lyncea memorat. Scholiaſtes Homeri Iliad. I, 557 dicit, *Idam* vulgo haberi Apharei filium, ſed revera fuiſſe Neptuni. quod & affirmat Apollodor. d. l. lib. III. de matre etiam *Arene* non omnes conſentiunt. Scholiaſt. enim Apoll. d. l. Theocritum ipſi dare matrem *Laocooſſam*, Piſandrum vero *Polydoram.* in qua neſcio, an non quædam ſit mulierum confuſio. nam Pelea ex Antigone, Eurytionis filia, genuiſſe *Polydoram* narrat Apoll. lib. III, cap. 12, § 1, quæ nupta fuit *Boro*, Perieris filio, quem *Borum* poſtea § 4 dicit eſſe Sperchium fluvium, & ex illo matrimonio natum *Meneſthium.* qui *Borus* ab aliis Mythographis inter filios Perieris non numeratur, ut forte ejus uxor fratri Aphareo fuerit a quibuſdam data, qui legerant *Polydoram* nuptam filio Perieris. Euſtath. ad Illiad. B. verſ. 681 *Polydoram* hanc ex *Polymela*, filia Actoris, natam, & Achillis ſororem facit. ſed alii aliter. vide Schol. Apollon. I, 558. *Polydoram* Proteſilai uxorem, unde nata uxor Meleagri, dicit Pauſan. IV, 2. de qua uxore Meleagri mox dicemus. aliam opinionem de matre *Idæ* & *Lyncei* habet Tzetz. ad Lycoph. 511, qui alios *Arnen*, filiam Æoli, ejus matrem facere dicit. de qua *Arne* in Jaſone egimus. Idas vero *acer* & *ferox* Hygino dicitur fuiſſe, & hac nota ab omnibus Argonautarum ſcriptoribus demonſtratur. vide Valer. Fl. VII, 574. Ore procacem & Deorum contemtorem, Apollonium eum inducere notat Barth. ad Stat. V, 505;

& hinc in pugna illa cum Caſtore & Polluce, quam alii de ſororibus Phœbe & Ilaira raptis, alii de præda male diviſa, ortam narrant, ferociam oſtendit, & Caſtora interfecit, ut Pollux Lyncea; quam cædem cum ulciſceretur *Idas*, lapide Pollucem percuſſit, ſed Juppiter *Idam* fulmine percuſſit. vide Apollod. III, cap. X, § 2. Pindar. Od. X Nem. 115. Theocrit. in Dioſcuris. Tzetz. ad Lycoph. 511. Ovid. V Faſt. 699 *& ſqq*. & alios plurimos. *Idas*, qui bello Thebano interfuiſſe a Statio narratur, non noſter quidem eſſe videtur, ſed ad ejus ferociam formatus a poeta. vide VI Theb. 533. unde *horridus* verſ. 603, *improbus* verſ. 644. Nam Thebanus erat, & quem Lydeus proſternit lib. VIII, 446, ubi *Oncheſtium* vocat. fortaſſe etiam Neptuno, ut noſter *Idas*, ortum indicans: Oncheſtus enim Neptuno ſacra, ut notat ibi Barth. & Schol. Apoll. III, 1240. Schol. Pind. I Iſthm. 45. unde *Oncheſti plebes Neptunia* Stat. VII, 271. eadem forte etiam ratione alterum *Idam* Statius ex diverſa parte inducit lib. VII, 588, quem *Tænarium* vocat; cum & Tænarus Neptuno ſacra, ut Schol. Apoll. III, 1239. Hic *Idas* etiam Marpeſſam rapuit, & ex ea genuit *Cleopatram* Meleagri uxorem; Pauſan. IV, 2. de quo raptu vide Plutarch. de Flum. in Lycorma, & Schol. Homer. Iliad. I, 553. hæc Cleopatra etiam *Alcyone* dicta fuit Hygin. fab. CLXXIV, ubi vide Muncker. Maſerius, cum ad Val. Fl. I, 461 recte hæc tradidiſſet, ad lib. III, 544 dicit, ex Alcyone Idam genuiſſe *Atalantam*, Meleagri uxorem.

IDMON. omnibus memoratus, ſed ſoli Apollodoro in catalogo Argonautarum omiſſus, quem tamen malam manum paſſum fuiſſe credo, quia in ſequentibus lib. I, cap. IX, § 23, Idmona vatem ab apro percuſſum in Maryandinis narrat. Filius Apollinis & Cyrenes vulgo habebatur. ſed Pherecydes Apolline & Aſteria, Coroni filia, genitum ſcripſit apud Scholiaſt Apollon. I, 139; ubi & laudatur Chamælion antiquus ſcriptor, qui *Idmona*, non nomen proprium Argonautæ fuiſſe contendit, ſed epitheton *Theſtoris*. Maſerius quoque ad lib. V princ. notat, Codrum Urceum crediſſe, *Idmona* eſſe *Mopſum*: quæ ſuſpicio etiam nata fuerat Cælio Rhodigino Lect. Antiq. XXIX, cap. 15; ſed mox repudiata. nam omnes poetæ & Mythologi Idmona diverſum faciunt, & vatem ſive augurem fuiſſe tradunt, ut eum inter veteres vates recenſet Clemens Alexandr. I Strom.

pag. 334. vide Valer. Fl. I, 228, ubi *Phœbejus* dicitur, & *Mopſo*, qui immanior & horrore Deoque plenior, quietior *Idmon* opponitur. Fuere & qui Abantis filium, & Argivum fecerunt, teſte Hygino: inter quos Orpheus verſ. 185, qui nothum dicit Abantis filium, quem Antianira genuit Apollini. Idem fere tradit Apollonius, unde Scholiaſtes ejus cognationem cum Æolidis & Cretheidis deducit: Abas enim Melampodis, ille Amythaonis, hic vero Crethei filius. Haruſpicis etiam munus obiiſſe ex Valer. III, 438 conficit Maſerius. *Argolicum* vocat eum idem lib. V, 2. etſi vero ex augurii & futuri ſcientia noverat, ſe in hac expeditione periturum, non detrectavit tamen militiam, ſed ſe Jaſoni adjunxit. de ejus morte diverſa quoque tradidere veteres, quorum opiniones recenſet Maſcrius & Weitzius ad d. l. lib. V princ. Apollodorus ab apro in Maryandinis occiſum narrat, cui & concinit Apollon. II, 817, & Hygin. fab. XIV, & Ovid. in Ibi verſ. 504, ubi vide Salvagnium. noſter vero poeta fatis & morbis lapſum dicit. Ammian. Marcell. XXII, 8 eum prope Tibarenos humatum eſſe narrat. vide Senec. Medeam verſ. 652, & ibi Gronovium. ab hoc *Idmone* diverſus Epidaurius ille, Medicinæ peritia in aula Adraſti celebratus a Stat. III, 389; & alius *Idmon*, pater Arachnes, Ovidio VI Met. 8 memoratus, qui Colophonius fuit.

JOLAUS. Iphicli, fratris Herculis, filius, ſoli Hygino annumeratus Argonautis. Hic ab Ovidio inter venatores apri Calydonii memoratur lib. VIII Met. 310. Ab Apollodoro ejus pater *Iphiclus*. Affuit & Jolaus Herculi patruo contra hydram. vide Scholiaſt. Nicandri ad Ther. 688. ejuſque currum rexiſſe in illo certamine narrat Anonym. p. XII. Laboribus Herculis ab Allatio additus cap. 2; & ejus precibus juventuti reſtitutum fuiſſe, canit Ovid. IX Met. 429. alii eum mortuum dicunt, ſed cum Euryſtheus Heraclidas ab Athenienſibus depoſceret, & bellum denuntiaret, revixiſſe, & Euryſthea occidiſſe narrant. vide Schol. Pindari IX Pythior. 137, ubi addit, alios hoc de reddita ſeni juventute interpretari. ejus vero tumulus honorarius erat prope Thebas ad Amphitryonis monumentum, ubi *Jolæa* ſacra celebrabantur. vide eundem Scholiaſt. ad IX Ol. 149, & IV Nem. 21 & 32. Τέμενος Ἰολάου prope Thebanam urbem memorat Arrianus lib. I de Exped. Alexandr. 7, ubi interpretes inter ſe contendunt, an lucum an fanum Jo-

lai intelligi oporteat. In Sicilia quoque Jolao templum & ſacra inſtituiſſe Herculem, narrat Diodor. Sicul. lib. IV, p. 161, & ut Deum in Sicilia & Sardinia cultum refert pag. 164. *Jolaum* hunc cum *Proteſilao* confundi videbimus in *Iphiclo* altero.

IPHICLUS. filius Theſtii, Apollodoro lib. I, IX, § 16, Hygino cap. XIV, Apollonio I, 201, & Orpheo verſ. 158 memoratus, nec Valerio noſtro omiſſus lib. I, 370. quamvis ibi quidam *Iphitum* legant, ſed perperam: cum quia hic Iphiclus Theſtii filius a nullo præteritus, neque a Flacco debebat negligi, tum quia, ut recte Maſerius notat, media ſyllaba in *Iphitus* corripienda ſit, cum in *Iphiclus* ſit anceps. Orpheo frater, σύγγονος, Althææ dicitur, quæ & Theſtii filia fuit Schol. Apollon. I, 146; ubi *Theſpius* male pro *Theſtius* legitur vulgo. Mater vero Althææ ibi *Laophonte* dicitur. ſed ad verſ. 201 Scholiaſtes dicit, Iphiclum & Althæam fuiſſe ex Deidamia Perieris filia: Apollodorus vero lib. I, cap. VII, § 10 dicit Theſtium ex Eurythmide, Cleobœæ filia, ſuſtuliſſe Althæam, Hypermneſtram, Iphiclum, & alios. vide ſupra in *Amphiarao*. Hyginus vero matrem *Leucippen*, tam Althææ, quam Iphicli facit: quæ fortaſſe illa *Leucippe* fuit, quæ ab Æliano III, var. 42 inter Minyadas numeratur, & ab Ovidio *Leuconoe* dicitur. unde cognatio ejus cum Jaſone poſſet deduci, & ſimul ratio reddi, cur frater ejus *Clymenus* vocetur, quod nomen, ut & *Clymene*, in Minyarum familia uſitatum fuit. vide ſupra in *Clymene*.

IPHICLUS alter. filius Phylaci, pater Proteſilai & Podarcis, Apollod. lib. I, IX, § 12; quamvis eum omittat in catalogo Argonautarum. quod fraudi fuit viro docto Eſchenbachio ad Orphei verſ. 137, qui cum *Iphiclo* Theſtii filio confundere videtur: reliqui omnes Argonautis annumerant. & hic cognatione proximus fuit Jaſoni, & ex Æolidis: mater enim ejus *Periclymene*, Minyæ filia, quæ & *Clymene*, ſoror Alcimedes, Jaſonis genitricis. vide Schol. Apoll. I, 45 & 239, & ſupra in *Jaſone*. Avunculum Jaſonis vocat Hyginus, quia Alcimeden matrem Jaſonis, ejus ſororem, & filiam Phylaci faciunt aliqui. vide Heinſ. ad Ovid. XIII Epiſt. 35. per patrem etiam ex Æolidis deducebat genus. *Phylacus* enim filius erat Iphicli, hujus pater Phylacus, illius Dejon vel Dejoneus, Æoli filius. vide Euſtath. ad Ho-

mer. Iliad. B. 697, Apollod. lib. I, cap. IX, § 4. Phylacus vero primus, filius Dejonis, condidit urbem Phylacem, teſte Euſtathio & Stephano in Φυλάκη. unde *Phylacidem* dictum Proteſilaum a Propert. I, XIX, 7, quidam putant: cum non ab oppido, ſed ab avo Phylaco II, patre Iphicli, ita denominetur: nam ab oppido gentili Φυλακήσιον, vel per periphraſin ἐκ Φυλάκης, dici docet Stephanus. quamvis & Φυλάκιος, de Proteſilai, Iphicli filii, patria, apud Lucian. in Dialog. Mortuor. p. 145 Edit. Bourdel. occurrat. Iphicli uxor *Diomedea* dicitur ab Hygino fab. CIII. ſed ibi agitur de *Iphiclo*, Herculis fratre, de quo in *Jolao* vidimus, quem Hyginus dicit eſſe dictum *Proteſilaum*, cum proprio nomine *Jolaus* dicatur. vide Munckeri notas. Euſtathius *Aſtyochen* vocat uxorem Iphicli, quæ diverſa videtur ab *Aſtyoche*, Actoris filia, de qua vidimus in *Almelo:* hic vero tanta pedum levitate & pernicitate curſus fuiſſe dicitur, ut ſupra ſpicas triticeas poſſet currere, nec eas tamen læderet, vel, ut Demaratus ajebat, ut poſſet per ſummas undas labi. unde in proverbium abiit, *Iphicli celeritas*. vide Scholiaſt. Apollon. d. l. & Tzetz. Chil. I, 42, & Euſtath. ad Hom. Il. Υ. 227, & Etymol. M. auctorem in Ἴφικλος. quæ poetis hyperbolæ uſitatiſſimæ de quocunque, ſive homine, ſive animali pernici, ut multis Eſchenbach. ad Orph. verſ. 137, & alii oſtenderunt. Qua tamen dote in hac expeditione nautica non commendari potuiſſe videtur, quia jam ſenior erat, & immunis omnium operum, ſed ut monitor, qui juvenes ad virtutem ſtimularet, aſcitus. vide Val. Fl. I, 474. quare mirari aliquis, cui poetarum in hiſtoria Mythica temporum confuſiones ignotæ ſunt, poſſet, Ovidium cum adhuc Trojano bello ſuperfuiſſe tradere cum *Laodamia*, quæ in Epiſt. XIII, verſ. 25, ſoceri ſui Iphicli, ut viventis & ſibi officium præſtantis, meminerit; niſi quis confuſos *Iphiclos*, & eorum munera putet. nam Orpheus verſ. 158, alterum *Iphiclum* Theſtii filium eſſe miſſum in hanc expeditionem, ut doceret Meleagrum Althææ filium, cujus avunculus erat, præclara opera, ut ita tamquam ejus rector eſſet. quem *Iphiclum* Valerius remo admovet lib. I, 370; cujus vacationem habebat alter *Iphiclus*. Ad hunc *Iphiclum* referendum eſt fragmentum Heſiodi apud Athen. lib. XI, cap. 14, ubi & *Phylaci* ejus patris mentio fit. quis vero *Iphiclus* fuerit, cujus hiſtoriam narrat idem Athenæus lib.

VIII, cap. 16, neſcire me fateor. neque etiam, an Parthenius in *Iphiclo*, cujus operis meminit Stephanus in 'Αρκαδίᾳ, noſtri Herois res geſtas, deſcripſerit, definire audeo.

IPHIDAMAS. ita vitioſe nominatur in Orphei editione, cum dicendus ſit *Amphidamas;* ubi vide.

IPHITUS. Nauboli filius, Phocenſis, omnibus memoratus; niſi quod apud Apollodorum vitio operarum Ἴφιτος dicatur. *Naubolus* autem ab Apollonio I, 207 *Ornitides* vocatur, ut diſtinguatur a *Naubolo*, Lerni filio, memorato ab eodem poeta I, 135. vide infra in *Nauplio.* Holtzlinus Naubolum alio nomine *Hæmona* dicit, & *Ornytum*, qui & *Ornytus* & *Ornytion*, eſſe; quia a Pauſania lib. II Iphitus Hæmonis, Hæmon Thoantis, Thoas Ornytionis filii dicuntur: & ex Ornytione etiam natus Phocus, unde Phocenſes. ſed hæc admodum obſcura. Pauſanias lib. X, cap. 33, Naubolenſes dictos Phocenſes olim tradit. & Homerus Il. B. 517 Schedium & Epiſtrophum, filios Iphiti Naubolidæ, facit duces Phocenſium: ubi Scholiaſtes *Naubolum* facit filium Iphiti: ut & Scholiaſtes Barthii ad Stat. VII Theb. 354. ipſe vero *Naubolus Hippaſides* a Statio dicitur, ut & Hyginus notat, quoſdam credidiſſe, *Iphitum Hippaſi* filium fuiſſe, & ex Peloponneſo veniſſe. ita eſſet frater *Actoris*, de quo vide ſupra. quæ omnia inter ſe conciliare, non eſt opis noſtræ. Filia Iphiti *Eurynome* dicitur, ex qua *Adraſtus.* vide infra in *Talao.* alius eſt *Iphitus* Euryti, Œchaliæ regis, filius, frater Ioles, apud Apollodor. lib. II, cap. VI, § 1, quem Argonautis etiam annumerat Hyginus & Apollonius lib. I, 86. vide in *Clytio* & *Euryto*, ubi pluribus de illis egimus. Hunc *Iphitum* ab Hercule e turre præcipitatum narrat Diodorus Sic. lib. IV, pag. 165; quem tamen effugiſſe in Eubœam Scholiaſtes Sophoclis ad Trach. 355 affirmat. Arcum *Iphiti*, quem Hercules ipſi abſtulit, & quo poſtea in furore abuſus eſt, celebrat Anacreon verſ. 421; ubi vide Barneſium.

IPHYS, vel potius *Iphis.* ſoli Valerio Flacco lib. I, 441 memoratus, ubi admodum laborat Pius & alii, quia olim *Iphitus* ibi legebatur pro *Iphi tuis* &c. Alii contendunt, eundem eſſe, qui *Tiphys.* quos recte refellit Pius. & abſurde Flaccus, cum Tiphys gubernator fuerit, & ad clavum ſederit, ſcriberet, ejus morte remum ceſſaſſe. præterea Tiphys mortuus eſt in Maryandinis, ut ipſe Valer. Flac. lib. IV memorat; Iphis vero demum in Colchide, lib. VII, 423,

ubi vide Pii & Maſerii notas, & ad lib. VI, 638 quæ notavimus, & Balbum ad lib. I, 721. quare ex ipſa Valerii ſententia diverſi ſunt. Alectoris fuiſſe filium, ex Pauſania, Iphyn, qui Sthenelo Capanei fratris ſui filio regnum reliquit, notat Maſerius ad lib. I, 441; licet, alium fuiſſe, addat ſe putare. vide infra in *Leito*.

IXITION. ex urbe Cerintho, ſoli Hygino notus. ſed cum locus ille procul dubio ſit corruptus, neque id nomen obvium in ſeculo illo fabuloſo, veroſimilis Munckeri conjectura, illo loco *Canthum* fuiſſe memoratum, qui ad finem capitis *Cerionis* filius dicitur. quidquid ſit, nihil definiam, donec a meliori codice medicina appareat, vel indubitatis argumentis hic *Ixition* probetur fuiſſe inter Argonautas.

LAERTES. Arceſii filius, pater Ulixis, a ſolo Apollodoro inter Argonautas refertur, reliquis omnibus ignoratur. Tempora ſatis conveniunt, & cognatio cum Jaſone & Æolidis potuit eum huic militiæ ſociare. *Arceſius* enim filius Celei, ille Cephali, hic vero frater Phylaci, & filius Dejonei, qui Æoli filius fuit. licet in hoc ſtemmate quædam aliter ordinentur, & ipſe Ulixes apud Ovidium XIII Met. Arceſii patrem Jovem fuiſſe glorietur. quæ omnia egregie illuſtravit Mezeriacus ad Ovid. Epiſt. I, cujus ſcrinia compilare non libet. addit idem Mezeriacus, crediđiſſe multos, Ulixem ex furtivo cum matre ejus coitu ex Siſypho natum, quod ipſi objicit Ajax, & ita propius Æolum, cujus Siſyphus filius fuit, contingeret.

LAOCOON. Parthaonis filius, Œnei frater, Calydonius, & patruus Meleagri, in cujus nomine de ſtemmate horum agemus. memoratur hic inter Argonautas ab Hygino & Apollonio Rhodio lib. I, 192, qui addit, illum ex alia matre natum, & quidem ancilla. quare Œneus eum filio ſuo Meleagro addidit κοσμήτορα, rectorem. Et hæc forte ratio, cur ab Apollodor. lib. I, cap. VII, § 11, inter filios Parthaonis non numeretur, nec etiam alii inter Argonautas, ut ignobiliorem, recenſeant. Nihil præterea de hoc *Laocoonte* mihi compertum eſt.

LEITUS. Λήϊτος, Alectoris filius, reperitur in catalogo Apollodori. legitur quidem Leiti filius, *Peneleus*, inter procos Helenæ Apoll II, IX, § 8, ubi vide. ſed ſine dubio mendoſum id in hoc Argonauta; & cum Alectoris filium faciat *Iphyn* Pauſanias lib. II Corinth. cap. 18, ille forte re-

ponendus eſſet. Alector vero filius Anaxagoræ, unde Anaxagoridæ reges Argivi poſt eum dicti fuere.

LEODOCUS. Frater Areji & Talai, filius Biantis, & ita ex Cretheidis, memoratur Orpheo, Apollonio & Valerio; ſed Hygino & Apollodoro præteritur. hic ſtemma cum commune habeat cum Arejo, & Talao, ad eos lectorem remittimus. notandum modo, Orphea verſ. 146 eum Λαόδοκον vocare, quem Apollonius Λεωδόκον appellat.

LYNCEUS. Apharei filius, Idæ frater, in quo pluribus de eorum parentibus actum, & origine ex Cretheo. celebratus maxime acerrima oculorum acie, qua penetrare in ipſa terræ viſcera dicebatur, quam ejus dotem Valerius noſter & omnes Argonautici & Mythologici ſcriptores extollunt: quod poetæ ipſi tribuere propter ſtudium rei metallicæ & naturalium, & quod in viſceribus terræ recondita perſcrutabatur. Hinc Romanæ Academiæ ſodales, quales in Italia plurimæ, ſe *Lynceos* dixerunt, ex qua celeberrimus *Fabius Columna*, qui non *Lynceus* appellatus, quia in rerum naturalium perquiſitione acutiſſimus erat, quamvis & eo nomine hac appellatione non indignus eſſet, ſed quia Academiæ *Lynceorum* adſcriptus erat, ut nos docet Leonard. Nicodemus in Addit ad Toppii Biblioth. Neap. in *Fabio Columna*. Placcius vero de Pſeudonymis num. 1430, p. 77, *Martinum Fogelium* hiſtoriam Lynceorum jamjam editurum, nobis nuntiavit nuper. *Lynceus* vero Argonauta mortem habuit cum fratre Ida communem, de qua ſupra egimus. Unicum adhuc notandum, confundi hunc Lyncea, Meſſenium Apharei filium, ſæpe cum *Lynceo*, Ægypti filio, qui Argivum regnum tenuit, marito Hypermneſtræ, Danai filiæ, quæ eum ſervavit. ita Ariſtophanis Schol. ad Plut. act. I, ſc. II, verſ. 152 acutum viſum Lynceo Ægypti filio tribuit, licet poſtea duos Lynceos diſtinguat. Scholiaſtes quoque Pindari ad Pyth. VIII, 77, dicit Lyncei filium fuiſſe Abantem, Talai patrem, ex quo Adraſtus, ubi eſt confuſio duorum ſtemmatum. Nam *Lynceus* Ægypti filius reliquit Abanta, ſed ejus filius fuit Acriſius, ut notiſſimum: vid. Pauſan. II, 16. ſed Talai pater fuit Bias, filius vero Adraſtus, ut in *Talao* videbimus, ubi & Orphea Talaum Abantis filium facere notabimus. interfuit & hic cum fratre Ida venationi apri Calydonii. Ovid. VIII Met. 304.

MELAS. filius Phrixi & Chalciopes, qui cum fratribus

Argo, Cytiſoro, & Phrontide in inſula Dia acceſſit Argonautis. vid. in *Argo* & *Cytiſoro.* hunc mari ſubmerſum nomen dediſſe, ut *μέλας πόντος* diceretur, docet Scholiaſtes Apollonii ex Eudoxo ad lib. I, 922; quamvis addat, alios a fluvio Mela deducere nomen. vid. Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. 538.

MELEAGER. notiſſimus ævi priſci Heros, Œnei & Althææ filius, Calydonius, qui genus longa ſerie ex Æolo trahebat, deſcendens ex Calyce Æoli filia. vide Apollodori lib. I, cap. VII, § 5 & ſeq. ab avo vero Parthaone, *Parthaonides* dicitur Valerio lib. III, 705; ubi videndus Pius, qui de cognatione Tydei & Meleagri multa ibi confert. egregie quoque *Parthaonis* ſtemma illuſtravit Heinſius ad Ovid. VIII Met. 541; ubi & fuiſſe notat, qui Martis filium Meleagrum fecerint, ut & Maſerius notavit. vid. Lutat. ad Stat. II Theb. 727. reliqua ejus acta nota ſunt. unum eſt, quod alicui, longum ordinem majorum recenſenti, ſcrupulum movere poſſit: nimis longum nimirum intervallum inter Æolum & Meleagrum intercedere, ut potuerit interfuiſſe huic expeditioni; cum nonus fere numeretur ab Æolo, & plurimi, ut Jaſon, Argus, & alii, tertia tantum ab Æolo generatione diſtent. ſed ſæpe jam notavimus, fruſtra temporum concordiam in fabulis quæri. Juvenem vero & imberbem affuiſſe huic expeditioni dicit Apoll. lib. III, 518; unde & *Laocoonta* ipſi rectorem additum vidimus. Noſter tamen Valerius in hac ſententia non fuiſſe videtur, qui lib. I, 434, humeros ipſi & ſpatium pectoris Herculeis æquum lacertis præbet; & lib. V, 574, ipſum & Tydea vocat *ingentes Calydonis alumnos. Magnum Œniden* vocat Statius lib. V Theb. 405; licet hæc de ſtatura, quæ jam juveni immenſa fuerit, explicare liceret. denique ætate jam virili fuiſſe apparet, quod ipſe Apollonius lib. I, 997 eum nulli, niſi Herculi, cedere affirmet; unde & Herculis relinquendi auctor, & factionis dux, magniloquentia & ſuperbia omnes ſuperat. vide Flaccum lib. III, 645 & ſeq. uxorem dicitur habuiſſe *Cleopatram*, Idæ filiam, de qua vide in *Ida*, & Heinſ. ad Ovid. Epiſt. III, 97.

MENŒTIUS. Actoris & Æginæ filius, ex inſula Ægina; Æolidarum etiam ex familia: Actor enim Dejonei filius, qui Æoli. Pater fuit Patrocli, qui inde *Actorides* Ovid. I, Art. 743 dicitur. vide & II ex Pont. IV, 22. Ab omni-

bus vero Argonauticis memoratur. a Valerio Flacco lib. I, 407, *Actorides* dicitur, de quo vide ſupra in *Actoride;* & Schol. Pindari ad IX Olymp. 104. Actor vero ille rex Opoentis fuit, & diverſus ab *Actore* Argonauta, quem ſupra recenſuimus. Euſtathius ad Homeri Iliad. A. 337 ex Heſiodo tradit, Menœtium fuiſſe fratrem Pelei, & filium Æaci, alios vero facere Myrmidonem, filium Jovis, ex quo natus Actor, qui duxit Æginam, quæ jam ex Jove Æacum antea ſuſceperat, ipſe vero poſtea ex illa tulit Menœtium. Myrmidonis etiam filium *Actora* dicit Scholiaſtes Apoll. Rh. lib. IV, 816; ubi addit, ejus filiam *Philomelam* datam fuiſſe Peleo. quam tamen Hyginus facit matrem Patrocli, ergo uxorem Menœtii. vide de his amplius agentem doctiſſimum Mezeriacum ad Ovid. Epiſt. I, verſ. 17; & Munckerus quoque ad Hygini cap. XCVII, *Sthenelen* Menœtii uxorem fuiſſe notat. Achillis etiam matrem *Philomelam* fuiſſe, oſtendit idem Mezeriacus ad initium Epiſt. III Ovidii. potuere vero confuſæ fuiſſe duæ mulieres, *Philomela* Actoris filia, Menœtii ſoror, quam duxit Peleus, & *Polymele* Pelei filia, quam duxit Menœtius, cujus nomen pro *Philomela* apud Hyginum eſſet reſtituendum, ſi vera ſunt, quæ doctiſſimus vir annotat ad Ovid. II ex Pont. IV, 22; quamvis apud Apollodorum lib. III, cap. 12, ex correctione Galei, non reperiam *Polymelen* Pelei filiam, ſed *Polydoram*, ex qua *Meneſthius* natus fuit. Sed Mezeriacus Euſtathium dicit Achillem facere filium *Polymeles*, Actoris filiæ, quæ certe ab aliis *Philomela* vocatur.

MOPSUS. nulli omiſſus aut ignoratus; celeberrimus vates, ut eum inter antiqui nominis vates celebrat Clemens Alexand. lib. I Strom. pag. 333. *Ampycis*, vel ut alii *Ampyci*, & *Chloridis* Nymphæ filius, Lapitha, ex Œchalia, ut quidam, vel Titarenſis, teſte Hygino: Τιταρήσιος Apollon. lib. I, 65. quidam etiam *Titaronium* (Lycophron verſ. 881 Τιταιρώνειον) vocant, quia pater Ampyci fuit Titaron, vel ab oppido Theſſaliæ Titarone, quod a Titareſio flumine Theſſaliæ diverſum eſſe docet Stephanus, & meminit ejus Homerus Il. B. 751, ubi multa de eo flumine adducit Euſtathius, qui eum ex Titaro monte, qui vicinus Olympo, effluere, & Eurotan etiam dici, notat. Hic vero *Mopſus* ſæpe confuſus cum altero *Mopſo*, Tireſiæ filio, vel nepote, qui etiam vates Trojani belli tempore fuit. vide

Gronov. ad Senec. Med. 655, Valeſ. ad Ammian. Marcel. XIV, 8, & Berckel. ad Steph. in Μόψιον. Noſter vero Ampycides vatis munere functus inter Argonautas memoratur. Orpheus verſ. 127 eum filium *Ampyci* & *Aregonidis* facit. ubi Eſchenbachius, ex Grævii ſententia, diverſam de matre vatis Orphea ſequi ſententiam notat. alii conſtanter *Chlorida* matrem vocant, quæ diverſa a *Chloride*, Amphionis & Niobes filia, quam Neleus uxorem duxit, & a *Chloride*, Tireſiæ filia, ut quidam matrem Periclymeni vocant. vide in *Periclymeno*. Hygin. fab. X, & Schol. Homeri Odyſ. Λ. 280. vide infra in *Neleo*. Valerius noſter lib. I, verſ. 383 Apollinis filium facit. cum quo facit Statius III Theb. 521, ubi Lutatius interpres Apollinis & Himantis filium dicit fuiſſe, & hinc quidam apud Ovid. I ex Ponto IV, 37 legunt; *nec Himantide natus*, & intelligunt *Mopſum*, ut docet Merula in notis. Sed Apollinis filius non fuit revera, ſed opinione & poetarum elogiis, qui vates Apollinis filios faciunt; unde Valerius dicit, *Phœbi fides non vana parentis*, id eſt, eum arte ſua & præſtantia vaticinandi vulgi rumorem confirmaſſe, quaſi Apollinis eſſet filius. eodem modo ut Neptuni & aliorum Deorum filios vidimus alios, qui tamen vero patre cenſebantur alio. ita & alter *Mopſus* Apollinis filius dictus, cum eſſet Rhacii & Mantus; Pauſan. lib. VII Achaic. cap. 3, ubi vide notas Kuhnii, qui ex Cononis narratione VI id firmat. reliqua de Mopſo obvia & occupata aliis. Hyginus vero hunc ab initio non acceſſiſſe Argonautis ait, ſed in itinere poſt mortem Ampyci patris ad eos ſe contuliſſe, deinde in Africa morſu ſerpentis obiiſſe: cum ceteri omnes ſimul cum Jaſone conſcendiſſe navem, & ex Theſſalia ſolviſſe, narrent. de ejus morte videri poſſunt viri docti, quos jam laudavimus, & Tzetzes ad Lycophron. verſ. 881. Ovidius, eum ſuperfuiſſe huic expeditioni, & venatui Calydonio cum Meleagro interfuiſſe, canit lib. VIII Metam. 316. Apulejus de Deo Socratis, eum pro Deo cultum, & in Africa oraculum habuiſſe, affirmat. vid Barth. ad Stat. III Theb. 521.

NAUPLIUS. *Neptuni* & *Amymones*, Danai filiæ, filius, Argivus, omnibus, præter Apollodorum, memoratus. Scholiaſtes vero Apollonii ad lib. I, verſ. 133, duos fuiſſe *Nauplios* tradit. hunc fuiſſe veterem *Neptuni* filium, & Argonautam; alium vero ex ejus poſteris *Nauplium*. & ſtemma

ita deducitur: Amymone genuit *Nauplium* Argonautam; ille Prœtum, ille Lernum, ille Naubolum, ille Clytonaum, ille denique *Nauplium* ſecundum. & videtur Apollonius ex hujus ſtemmatis deductione Nauplium minorem filium Clytonai ſtatuere Argonautam; licet verſ. 138 Nauplium majorem Amymones fil. navigandi peritiſſimum ſtatuens, eum Argonautis accenſere poſſet credi. certe Orpheus verſ. 200, Hyginus, & alii, eum Neptuni & Amymones filium faciunt. Hœlzlinus ad Apollonium, ubi de variis *Naupliis* agit, ipſe confundit ſtemma, & Prœtum facit *Nauplii* minoris filium, cum fuerit majoris, & *Nauplium* putat eundem eſſe, qui *Abas* dicitur Pauſaniæ lib. II, 16; ſed ille diverſus Prœtus fuit, geminus Acriſii frater, filius Abantis, & Argivus. hic vero Prœtus, Nauplii filius, Phocenſis: nam Lernum & Naubolum fuiſſe Phocenſes, vidimus in *Iphito*. & hic Nauplius major conditor Naupliæ, teſte Pauſan. lib. II, 38, & V, 35, & Schol. Euripid. in Oreſte verſ. 54. & veroſimile eſt, Lernam paludem a Lerno Prœti filio dictam, ut & ab Amymone fons nomen in eodem tractu terræ accepit. Nauplius etiam familiaris Aleo fuit, cujus juſſu filiam Augen necandam vel vendendam tradidit, teſte Diodoro lib. IV, pag. 166, & Apollod. lib. III, 9, § 1, & paulo aliter Pauſ. VIII, 848. Scholiaſtes vero Apollonii ad lib. IV, 1091, ex hoc Nauplio, Neptuni filio, natum eſſe ait Damaſtora, Pherecyde auctore, ex eo vero Periſthenen, inde Caſtora, & ex eo Androthoen, matrem Dictyos & Polydectæ. Hic *Nauplius*, cum Tiphys periiſſet, petiit clavi regimen, ſed prælatus fuit Ancæus, teſte Apoll. II, 898, ex Flacci ſententia Erginus lib. V, 65. inſignem vero fuiſſe ejus navigandi peritiam & ſiderum ſcientiam, inde confici poſſet, quod ex duabus Arctis unam reperiſſe *Nauplium*, alteram Thaletem, dicat Theon ad Arati Phænom. verſ. 27. Præterea etiam noſter poeta hunc *Nauplium* confudiſſe videtur cum alio Palamedis patre lib. I, 371, qui tamen fuit Euboicus, cum noſter Argivus dicatur ab Hygino XIV, & Scholiaſte Euripidis d. l. Apollodorus etiam lib. II, cap. I, § 5, itidem confundit. Nam hunc *Nauplium* Clymenen, Atrei filiam, vel ut alii Philyram, duxiſſe narrat; vel ex ſententia Cercopis Heſionen cepiſſe, ex qua Palameden & alios genuit; qui locus mendoſus eſt. nam Clymene Atrei, Ἀτρέως, filia dicitur, ut etiam legitur apud

Schol. Euripid. Oreſt. 432, quæ lib. III, cap. II, § 2 dicitur *Crethei* filia, qui Κράτευς etiam ibidem dicitur, Minois filius. ſed ſemper *Catrea* vocari debere, docuit Meurſius in Creta lib. III, cap. 3, & ita MSS. habere, notat Th. Galeus, & Tzetz. ad Lycoph. 384 recte tradit. hæc Clymene fuit mater Palamedis, cujus ſoror Ærope, Pliſtheni nupta, edidit Agamemnona & Menelaum. unde a Suida Palamedes dicitur ἀνέψιος Agamemnonis. ipſe etiam Virgilius *Nauplios* confudiſſe videtur, cum Palameden *Beliden* vocet lib. II, 82. Amymone enim, Danai filia, Beli neptis erat; ubi Servius, Apollonium ſecutus, dicit, eum ſeptimo gradu a Belo diſtare, quæ iiſdem pæne verbis habet Lutatius ad Stat. I Achil. 92; cum tamen ex Apollodori loco, mox adducto, tantum quarto gradu diſtare efficitur. ſi vero *Nauplium* minorem fuiſſe patrem Palamedis ſtatuamus ex ſtemmate Apollonii, nono quidem gradu diſtabit. Lutatius vero ad Stat. II Theb. 432, VI Theb. 288, *Nauplium* majorem patrem Palamedis ſtatuit, ut Apollodorum feciſſe vidimus. abſunt tamen illa verba, quæ Palameden ex Nauplio natum indicant, ab Hygini fabula CLIX, quam deſcripſiſſe Lutatium Munckerus notavit. Morerius in lexico ſuo memorat *Nauplium* ſecundum, quem Seriphi & Eubœæ regem facit, quod unde habeat, vellem docuiſſet. ſi enim Seriphi rex fuiſſet, potuiſſet Polydecten aut Dictyn, quos ex poſteris Nauplii prioris fuiſſe vidimus, cognatione contigiſſe. illorum autem poſteros neſcio an veteres memoraverint. qui vero ſupplementa adjecit Morerio, recte eum quidem reprehendit, quod nullam Nauplii prioris mentionem fecerit, quem tamen ipſe cenſor, an fuerit, ignorat, nec ſtemma Nauplii accurate excutere ſatagens, ad Apollodorum, obvium omnibus in hac materia auctorem, remittit, quem nos Nauplios duos confundere oſtendimus. maximum hoc ex furum Lexicographorum ſcriptis eſt incommodum, quod vel nullos auctores producant, vel ad ſcriptorem aliquem nos ita remittant, ut quærendo defatigati, tandem illis fidem habere malimus, quam inutilem operam inſumere. ſæpe etiam citant auctores, apud quos illa, de quibus agunt, debere exſtare credunt, licet ſæpe vel nihil ibi reperiatur, vel longe aliter.

NELEUS. *Hippocoontis* filius, Pylius Hygino fabula X

& XIV, qui ſolus eum in Argonautarum cenſum refert. ab aliis *Neptuni* & *Tyrus* filius dicitur. vide Schol. Pind. IX Ol. 43, & Schol. Apollon. I, 156, & Schol. Homeri Odyſ. Λ. 380, Apollodor. in catalogo Argonautarum, & Liban. Diegem. 38. ſed de Nelei gente mox in *Neſtore* & *Periclymeo*, Nelei filiis, agendum erit. ejectus hic erat a fratre Pelia ex Theſſalia, & in Peloponneſum abiens Pylum condiderat, ibique regno confirmato, & ducta Chloride, Amphionis & Niobes filia, Periclymenum, Neſtora & Chromium ſuſtulerat; Hygin. fab. X: quorum duo Argonautis ſe aſſociaverunt. quare vix veroſimile videri poteſt, illum cum filiis ſe voluiſſe adſcribi in hanc militiam, cum diu ante hoc tempus ex Theſſalia migraverit, & ſenior jam eſſet. Pero, ejus filia, mater fuit *Areji* Argonautæ; ubi vide.

NESTOR. Nelei filius, qui ſolus omnibus fratribus ſuperſtes fuit, quia aberat eo tempore domo, quo Hercules Nelea cum omni familia ſuſtulit. vide Hygin. fab. X. Hic ſoli Valerio noſtro debet, quod inter Argonautas habeatur. vid. lib. I, 380, & VI, 569. Licet vero frater ejus *Periclymenus* natu major fuerit, ipſum hujus expeditionis tempore militaris ætatis fuiſſe apparet, quia jam antea Lapitharum certamini interfuit, quod paucis annis hanc militiam præceſſit, ut ipſe Neſtor apud Ovidium XII Met. 212 & ſeq. & noſter lib. I, 145 teſtantur: quamquam ſcrupulus, ſi omnia ad hiſtoricæ veritatis calculum apud Mythicos revocare vellemus, inde injici poſſet, quod primis in annis interfuiſſe Calydonio venatui dicat Ovidius VIII Met. 313, qui poſt reduces Argonautas eſt inſtitutus. Præterea Scholiaſtes Statii lib. IV Theb. 126 dicit, illum ad bellum Thebanum non iviſſe, quia nondum militaverat; quod tamen ex verbis Statii vix confici poſſe puto, quæ ita ſe habent:

Nondum nota Pylos, juveniſque ætate ſecunda
Neſtor, at ire tamen peritura in caſtra negavit.

unde tantum patet, eum ultra triginta annos natum, ideoque aptum ſatis militiæ, ſed noluiſſe huic bello nomen ſuum dare. ubi etiam Barthius notat, poetas non conſtare ſibi in temporum ratione, ut talium dominos, non famulos, ſuo quodam privilegio. reliqua de Neſtoris actis & vita, quia notiora ſunt, & huc non pertinent, omittemus.

OILEUS. *Leodoci* & *Agrianomes*, filiæ Perſeonis, filius,

ex urbe Naricea Hygino fab. XIV memoratur, ſed Berckelius in notis ad Fragmentum Stephani pag. 60, ſive ad Δώτιον, emendat *Odœdoci* filius, qui filius erat Cyni, quod ſtemma mihi eſt ignotum, & Berckelius ex Euſtath. ad Il. B. 531, matris etiam nomen *Laonomen* pro *Agrianome* ſubſtituit, quod veroſimile. nam idem Steph. in Καλλίαρος facit Calliarum, filium Odœdoci & Laonomes. Uxor *Oilei* fuit *Eripois*, ex qua Ajax natus fuit, Homer. Il. N. 697, & O. 536; ex Rhene concubina habuit Medonta, Homer. Il. B. 727. memoratur vero hic inter Argonautas ab omnibus, præterquam ab Apollodoro. dotes ejus præcipuas fuiſſe, dolo hoſtes aggredi a tergo, ſi inclinata eſſet acies, canit Apollon. I, 75; quod poſſet intelligi non de acie hoſtium, ſed de ſua, in qua pugnabat *Oileus*, quæ cum fugeret, ipſe, quaſi in tergo manus haberet, inſequentes hoſtes poterat impetere; & ad eum forte, non filium Ajacem, referri illa Servii poſſent ad I Æneid. 41: *a multis hiſtoricis Græcis tertiam manum dicitur poſt tergum habuiſſe, quod ideo eſt fictum, quia ſic celeriter utebatur in prœlio manibus, ut tertiam habere putaretur.* quibus verbis ſi liceret præponere *qui*, & ita connectere, *ſane hic Ajax Oilei filius, qui a multis*, ad patrem, non filium, lubens referrem: quamvis non pugnem, ſi de ipſo Ajace quis vellet capere, qui eadem dote, qua pater, inſtructus, hoſtes in fugam datos mira velocitate inſequi eſſet ſolitus, unde ταχὺς Homero, & Horatio I, od. 15 *celer ſequi* dicitur. ſed hæc relinquimus in medio.

ORPHEUS. celeberrimus vates, & de cujus ſapientia muſica omnia veterum monumenta plena ſunt, a nullo Argonauticorum ſcriptorum non celebratus; quare nec noſtrum eſt inſtitutum, operoſe de eo agere. De parentibus ejus non convenit. quidam *Apollinis* & *Calliopes*, alii *Œagri*, ut noſter IV, 348, filium faciunt. vide Schol. Apollon. I, 23, & Muncker. ad Hygin. XIV. potuit vero revera *Œagri* fuiſſe, ſed habitus Apollinis, quia vates & poeta excellens fuit; ut in *Mopſo* vidimus & aliis. & Schol. Pindari IV Pyth. 313 notat, ut ex Jove, & Jovis filii reges dicuntur, ita poetæ & cithariſtæ ex Apolline. magiſter Eumolpi dicitur Ovidio III ex Pont. III, 41, ubi vide notas. Hic rei militaris rudis, & etiam debilis, aſſumtus a Jaſone ex conſilio Chironis, quia aliter non potuiſſent

Sirenas tranſire. Schol. Apoll. I, 24 & 31. Orpheus, ſive Onomacritus juvenem facit verſ. 408; & idem fingit, Jaſona abiiſſe ad eum in Thraciam, & ad iter Colchicum invitaſſe. Ejus munus fuit, citharæ cantu demulcere feros juvenum animos, (nam feras mitigaſſe Muſis & literis mentes docent Parrhaſ. & Barth. ad Claudian. Præfat. lib. II de Rapt. Proſerp. & alii.) & modum remis ducendis dare, & celeuſma canere. De poeſi, quæ ſub ejus nomine circumfertur, quam ad *Onomacritum* quidam, alii ad juniorem poetam, nobis incognitum, referunt, hic agendi locus non eſt. vide Fabricii Biblioth. Græc. lib. I, cap. 18, & Schurtzfleiſch. notitiam Biblioth. Weimar. pag. 178.

PALÆMON. Apollodoro memoratus, *Vulcani*, ſive *Ætoli* filius; Orpheo vero verſ. 208 *Lerni* filius nothus dicitur, & *Palæmonius* vocatur, ut & Apollonio I, 202, qui dictum quidem Lerni filium, ſed revera Vulcani fuiſſe dicit: qui *Lernus* ſi idem ſit, quem Prœti filium vidimus fuiſſe in *Nauplio*, itidem ex Æolia familia genus ſuum deducebat. ſi vero ex Apollodori ſententia fuerit Ætoli filius, potuit illius Ætoli fuiſſe, qui Endymionis filius, Calyces Æoli filiæ nepos fuit, & ita ex Æolidis genus quoque traheret, & Calydonius, ut Hyginus eum facit, fuiſſet. ignoratur hic Valerio Flacco, neque nobis de eo amplius quid conſtat.

PELEUS. *Æaci* filius, Telamonis frater, Achillis pater, nulli incognitus, & ab omnibus inter Argonautas connumeratus. Matrem ejus Tzetz. ad Lycoph. 275 *Deida* fuiſſe ſcribit, quam in *Endeida* mutat Munckerus ad Hyginum, cujus notas vide. hanc Plutarchus in vita Theſei *Scironis*, alii *Chironis* filiam faciunt, quod veroſimilius: & nomen apud Plutarchum corruptum eſſe patet, quia uxor *Chariclo* additur, quæ Chironi fuit nupta. vide ad Ovid. II Metam. 636, & Schol. Pind. IV Pyth. 182, & Apollon. IV, 613. Æaci vero mater *Ægina* dicitur Ovid. VII Met. 615, Stat. VII Theb. 317, & aliis, ita ut fuerit frater Menœtii. Licet ille Actore patre magis, Æacus vero Jove, (qui in aquilam verſus Æginam vitiavit. vid. Schol. Stat. ad lib. VII Theb. 424, & Nonni Dionyſ. lib. XXIV, pag. 625.) cenſeatur. qua ratione etiam Æolidas tangat, vide in *Menœtio*. Ipſe *Peleus*, *Thetin* Nerei; (ſive Neptuni; Hygin. fab. CLVII) filiam duxit, unde eum *generum pro-*

fundi Nereos appellat Stat. V Theb. 436. reliqua notiſſima ſunt. ſed hic quoque ratio temporum admodum turbata eſt. ut enim multa prætaream, dicitur *Peleus*, cum fratrem ſuum *Phocum*, inita ſceleris ſocietate cum *Telamone*, occidiſſet, aufugiſſe, & luſtratus ab Euryto Actoris filio, quem *Eurytiona* vocat Apollodorus; (vide ſupra in *Eurytione*) cujus filiam Antigonen duxit, & in tertiam partem regni a ſocero aſcitus fuit: deinde, cum in venatu apri Calydonii occidiſſet Eurytiona, iterum ſe Jolcum contulit, ad Acaſtum, Peliæ filium, a quo luſtratus iterum fuit; Ovid. XI Met. 409, II Faſt. 39. ſed cum ab Aſtydamia, Acaſti uxore, ſollicitaretur ad adulterium, nec vellet ejus libidini morem gerere, ab Acaſto, apud quem eum criminata erat Aſtydamia, iterum expulſus fuit, & feris expoſitus, ſed ope Jovis conſervatus ſpoliavit Acaſtum regno, & duxit Thetin. hæc multis prodita vide apud Tzetz. ad Lycoph. 176, Schol. Ariſtoph. Nubib. 1059, Pindar. III Nem. 55 & 88, Apollon. I, 224, & alios. vide & ſupra in *Acaſto* & *Eurytione*. quæ ſi vera ſunt, cum maximam partem poſt hanc expeditionem accidere debuerint, qui ergo ab Apollonio & Valerio fingi poteſt jam tempore hujus expeditionis natus Achilles, & apud Chironem, qui avus ejus maternus fuit, educatus? qui ſi ex Thetide natus, certe Acaſtus, qui in primo ævo ad Jaſona veniſſe dicitur, non potuit jam uxorem habuiſſe, nec Pelea luſtraſſe ante natum Achillem. movet & hunc ſcrupulum Pius ad Valer. I, 256, ſed non ſolvit. quare ſtatuendus hic anachroniſmus, poetis admodum familiaris: licet ego facile credam, connubium *Pelei* fuiſſe poſterius hac expeditione, ſed poetas ornando argumento, jam Achillem puerum induxiſſe, qui indolem ſuam tot Heroibus oſtenderet: *Peleus* enim juvenis debuit affuiſſe Argonautis, quia ejus patruus Menœtius, qui neque provecta ætate fuit, ut plurimi Argonautæ, itidem commilito fuit; neque etiam, ſi hoc tempore jam puer Achilles fuerit, & ad Trojana bella protraxerit ævum, non habuit ejus mater, nec ipſe, quod de brevitate vitæ quererentur. ſed plura incredibilia in Achille occurrunt. Apollodorus lib. III, cap. XII, § 8, dicit, Achillem anno nono ætatis fuiſſe a matre in inſula Scyro occultatum, & paulo poſt inde ad Trojanum bellum extractum. vide Barth. ad Stat. I Achil. 1, & 503. Neoptole-

mus vero, ex Deidamia ſuſceptus, unum annum agebat, cum ab Ulixe deprehenderetur Achilles. vide Stat. II Achil. 234. ille tamen poſt decem vel undecim annos jam vir, & ferociſſimus Ilii vaſtator, & Priami interfector inducitur a Virgilio II Æneid. & aliis. quibus crediderim Ovidium inductum, ut Neoptolemum adhuc in Scyro fuiſſe fingat XIII Met. 155, ubi de armis Ajacis:

Eſt genitor Peleus, eſt Pyrrhus filius illi,
Quis locus Ajaci? Phthiam Scyronve ferantur.

quamquam aliquis poſſet contendere, Pyrrhum poſt armorum judicium Græcorum exercitui acceſſiſſe. nam niſi hoc Ovidius crediderit, ſibi obloqueretur, cum mox verſ. 455, eum Polyxenæ cædi parentali interfuiſſe, narret; ſi forte hæc tam accurate Naſo excuſſerit in opere, quod non emendavit. Denique *Pelea* omnia illa egiſſe, quæ ſupra vidimus, poſt expeditionem, inde apparet, quod ſuperfuerit uſque ad bellum Trojanum, quæ ætas longiſſima fuiſſet, ſi tam provecta ætate, & tot rebus geſtis demum ad Argonauticam expeditionem profectus fuiſſet. ſupervixiſſe vero Achilli, ex Ovidii loco XIII Met. 155, apparet, & ex Plutarchi libro, an Seni ſit gerenda Reſpubl. qui dicit, Pelea & Laerten domi deſediſſe, ideoque deſpectos, cum Neſtor etiam ſenex laudem adhuc obtineret ex re militari. vide & Schmid. ad Pind. IV Pyth. pag. 268. a Pyrrho nepote reduce reſtitutus etiam regno dicitur, quod iterum per Oreſtem amiſit, indeque confectus mœrore obiit. ad militaris rei ſcientiam, qua valuit, pertinet, quod μάχαιραν inveniſſe dicatur a Servio ad Virg. IX Æn. 505.

PENELEUS. filius *Hippalmi*, ſoli Apollodoro notus: nobis, unde venerit, aut ortus ſit, minime conſtat. memoratur *Peneleus*, Leiti filius, inter procos Helenæ, ut vidimus in *Leito*. ſed ille ſimul ergo cum patre debuiſſet militare. *Hippalcmum*, Pelopis filium, reperio apud Schol. Pindari I Olymp. 144; ſed de ejus conjugio aut poſteris nihil novi, &, an idem ſit, qui *Hippalmus*: certe ita vocatur a Schol. Euripidis in Oreſte verſ. 5. *Peneleus*, Leiti filius, Bœotorum dux in bello Trojano ab Homero & aliis celebratur. ſimul cum Leito duxiſſe copias dicit Homerus Il. B. verſ. 494, quem Penelea an diverſum faciat, an confundat cum Argonauta cap. XXVII Hyginus, neſcio: nam dicit *Hippalli* & *Aſteropes* filium fuiſſe: *Hippallum* vero Pe-

lopis & Hippodamiæ filium fab. LXXXV; quem alii *Hippalmum* & *Hippalcimum* vocant. vide Munckeri notas. hujus Penelei nepos itidem *Peneleus*, conditor oppidi Paneli dicitur a Stephano in Πάνελος. Leitus vero dicitur *Lacreti* & *Cleobulis* filius, quæ etiam nomina corrupta: nam quod *Alectoris* vel *Alectryonis* reſtituant viri docti, arbitrarium eſt. melius eſt, exſpectare certiora.

PERICLYMENUS. *Nelei* filius, frater Neſtoris, ab omnibus celebratus inter Argonautas. vide Apollon. I, 156, & ibi Schol. Homer. Od. Λ. 380. Orpheus dicit, eum veniſſe ex Pallene vel Pellene (vid. Eſchenbachii notas) & Lipaxo. Hyginus vero Pylium facit. Scholiaſtes vero Pindari ad IV Pyth. III, & IX Nem. 61, *Nelei* & *Chloridis* filium facit, quam *Chlorida* dicit fuiſſe filiam Tireſiæ, ubi cum *Amphiarao* congreſſus dicitur. niſi ſit diverſus a noſtro, quod vix puto. Seneca quoque in Medea 635,

Patre Neptuno genitum necavit,
Sumere innumeras ſolitum figuras.

vid. in *Neleo*: qui Neptuni filius cenſebatur a multis, ut vidimus, & hinc auctor Neleidarum Neptunus habitus. vid. Schol. Pindari IV Pyth. 309, & Ovid. XII Met. 556. & recte avum *Periclymeni* Neptunum facit Tzetzes II Chiliad. 45, & d. Scholiaſtes Pindari. licet Pindarus, eum Euphemo conjungens, videatur Neptuni filium crediddiſſe. ex hoc *Periclymeno* deſcendebat *Melanthius*, pater Codri, ut oſtendit Meurſius de Reg. Athen. lib. III, cap. 10. Neptunus vero præ ceteris Neleidis hunc *Periclymenum* dilexiſſe dicitur, & decoraſſe munere, ut ſe poſſet vertere in varias figuras: quod Ovidius & Schol. Apollon. d. l. docent. in bello vero, quo pater ejus oppreſſus fuit ab Hercule, cum ſe in muſcam convertiſſet, clava fuit occiſus, ſecundum Scholiaſten dictum. Ovidius vero veriſimilius in aquilam converſum, ſagittis ab Hercule confectum, tradit. ad illas metamorphoſes reſpicit Severus Sophiſta in excerptis Rhetorum *Allatii* pag. 231.

PHALERUS. *Alconis* filius, Athenienſis, omnibus memoratus. Apollon. I, 96, Orpheo 142, Valer. Fl. I, 398. *Alcon* a Scholiaſte Apollonii dicitur filius Erechthei regis Athenienſium; unde *Actæus Phalerus* vocatur a Valerio lib. VI, 217. Hunc *Alconem* forte reſpexerit Virgilius Ecl. V,

Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

in quo veriſimiliter latet aliquod egregium *Alconis* facinus; Codro comparandum, quod præſtitit *Alcon* patriæ ſuæ. certe Maſerius ad Val. Fl. d. l. narrat, *Alcona* fuiſſe quendam Athenienſium ducem, qui ſua morte ſuis vitam reſtituit. quod unde hauſerit, non addit. de Erechthei filiabus certe narratur, illas ſe pro patria immolandas præbuiſſe. vide Ciceron. I Tuſc. 48, & III de Natur. Deor. 19, & pro Sext. 21, Hygin. fab. XLVI, & alios. an in hujus facti ſocietatem venerit frater, ignoro. confuſus ſæpe hic *Alcon* Athenienſis cum Cretenſi ſagittario, quem Servius ad Virgilii d. l. ibi innui putat: nam & noſtrum fuiſſe artis ſagittandi peritiſſimum, apparet ex illis, quæ Valerius ei attribuit, & Manilius V, 304:

Quin etiam ille pater tali de ſidere cretus
Eſſe poteſt, qui ſerpentem ſuper ora cubantem,
Infelix, nati ſomnumque animamque bibentem,
Suſtinuit miſſo petere ac proſternere telo, &c.

ubi Scaliger videndus, qui adducit verſus Sidonii in eandem rem, ad quos vide Carm. V, 154 Sirmondi. notas. quare forte Valerius Cretenſis factum Athenienſi attribuerit. Euſtathius *Alconem*, Pandori filium, Erechthei nepotem facit. vide Meurſ. de Regib. Athen. lib. II, cap. 13. Alius *Alcon* Myleus, artifex egregius, memoratus ab Ovidio XIII Met. 683; alius Sicyonius Stat. IX Theb. 121, ubi de aliis Barthius videndus. & nomen illud etiam temporibus poſterioribus uſitatum fuiſſe, docet *Alcon* Saguntinus apud Liv. XXI, 12, & Chirurgo impoſuit id cuidam Martialis XI, 85. Quidquid ſit de *Alcone* patre, filius ejus *Phalerus* dicitur, & Gortynam urbem Theſſaliæ condidiſſe ab Orpheo verſ. 143, quod a nemine præterea tradi notavit Eſchenbachius. ab eo portum *Phalereum* etiam Athenienſibus ſtructum nomen accepiſſe, tradit Pauſan. lib. II, cap. 1; præterea in Italiam deinde tranſgreſſum, urbem ex ſuo nomine *Phalerum*, quæ deinde *Parthenope*, & poſtea *Neapolis* fuit dicta, condidiſſe, Petrus La Sena de Gymnaſio Neap. cap. XI, § 4, & Camill. Peregrinus de Campania Felice diſſ. II, § 21, eruditiſſime ex Lycophrone & aliis oſtenderunt. La Sena etiam, quia Εὐμελίης Phalerus ab Apollonio vocatur, inde Neapolim *Eumelida* vocari a Statio lib. IV Silv. VIII, 49 credit, in quo loco explicando ad-

modum ſudant interpretes. ſed Domitium Calderinum jam id ſuſpicatum fuiſſe, licet ille ab Eumelo Parthenopes patre deducat, ex ejus notis, quas forte ex antiquo gloſſatore concinnavit, apparet. vide ad Ovid. VII Met. 390.

PHANUS. *Dionyſi* ſive *Bacchi* filius, ſoli Apollodoro numeratus inter Argonautas, nobis ignotus. vide infra in *Staphylo* ejus fratre. An ab hoc proverbium Φάνου θύρα ortum, neſcio. Refert id Eraſmus ex Suida, titulo *Indiligentiæ*. ſed ille Φάνιος dicitur Zenobio Centur. IV, 24, Φανεὺς a Diogeniano Centur. V, 5. Euſtathius *Phaniam* vocat, notante Schotto.

PHILAMMON. *Apollinis* & *Chiones* filius Hygino fab. CC, & Ovid. XI Met. 317, ubi pluribus de eo actum. *Leuconoes*, vel *Leucothoes*, ut alii, filium facit Hygin. CLXI, ubi v. Scheffer. & infr. in *Therſanon*. fuit Autolyci frater ὁμομήτριος. Hunc Scholiaſtes Apollon. lib. I, 24, ex Pherecyde narrat cum Argonautis navigaſſe, non vero Orphea. De confuſione circa hunc & *Eumolpum*, vide quæ ad Ovidium notata lib. XI, 93, & III ex Pont. III, 41; nec veroſimile eſſe, hunc cum Argonautis navigaſſe, evincent illa, quæ de *Autolyco* ejus fratre ſupra diximus.

PHILOCTETES. filius *Pæantis*, ex Melibœa, fatis notus. hic ab Hygino & Val. Fl. I, 391, ſolis recenſetur inter Argonautas; a reliquis omnibus omittitur, & jure, ut puto. non enim veroſimile, ſi rationem temporum ſpectemus, eum utrique expeditioni Argonauticæ & Trojanæ interfuiſſe, quod ſoli Neſtori, omnium maxime longævo, contigiſſe dicitur. quare alii *Pæantem* ejus patrem Argonautam faciunt, cui & Herculem ſagittas ſuas dediſſe ſcribit Apollodorus lib. II, cap. VII, § 7. quare Philoctetem potius Trojanis bellis relinquimus.

PHLEIAS, vel PHLIAS. *Bacchi* & *Ariadnes* filius, ex Phliunte urbe. Valerio lib. I, 412, & III, 108, Apollon. I, 115, Orpheo verſ. 192, memoratus. *Phliaſius* Hygino dictus. Urbs vero Phlius in Peloponneſo olim Aræthyrea dicta, teſte Scholiaſte Apollonii d. l. & Pindari VI. Nem. 73, ſed de auctore hujus urbis diſcrepant. quidam enim ab hoc *Phliante* volunt conditam; ut Pauſan. II, 12, qui eum non *Ariadnes*, ſed *Aræthyreæ* filium ex Baccho facit; licet alii ex *Caſo*, Temeni filio, deducant. Orpheus ma-

trem ejus Nympham vocat, ſed nomen non exprimit. Stephanus & Schol. Apollonii a *Phliunte*, (rectius a *Phliante*) Bacchi & Chthonophyles filio, conditam ajunt. Maſerius ad lib. III, 148, valde æſtuat in hoc nomine, & licet Deſpauterio male *Phæas* dicatur, ipſe tamen *Phlæas* recte dici poſſe cenſet.

PHLOGIUS. filius *Phrixi* & *Chalciopes*, qui cum fratribus in inſula Dia Argonautis ſe adjunxit. memoratur Hygino, Apollonio, & Val. Flacco. vide in *Argo* & *Mela*, & inprimis in *Autolyco*.

PHOCUS, vel, ut editur, *Focus*, *Canei* filius, ex Magneſia, ſoli notus Hygino. *Caneus* ejus pater, Elati filius, Magneſius, ſupra eſt relatus. non vero, ut toties vidimus, veroſimile credo, patres cum filiis ſubiiſſe hanc expeditionem, cum paſſim Argonautæ juvenes. florente ætate inducantur. alium *Phocum* Ornitionis, ſive Neptuni filium, memorat Pauſanias lib. II, cap. 4. Alius etiam eſt filius Æaci, a Peleo & Telamone occiſus, de quo vid. ad Ovid. VII Met. 685.

PHRONTIS, ſive, ut ab aliis vocatur, *Phrontides*. *Phrixi* & *Chalciopes* filius, de quo nihil eſt, quod dicamus, cum a fratribus *Argo*, *Mela* & *Cytiſoro* nihil habeat peculiare. *Phrontis* vocatur a Scholiaſte Apollonii II, 390, 1125, & ab ipſo Apollonio verſ. 1159. Et ita rectius vocari, docet alter *Phrontis*, rector Menelai, memoratus Homer. Odyſ. Γ. 282, & Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. verſ. 9, & Heſychio.

PIRITHOUS. *Ixionis* filius, Theſei individuus comes & amicus, ſoli quoque Hygino refertur inter Argonautas, cum Apoll. I, 103 aperte neget, illos intereſſe potuiſſe huic expeditioni, cum retinerentur a Plutone, quod Proſerpinam rapere inſtituiſſent, ex qua captivitate poſtea demum ab Hercule fuere liberati. vide Germ. Valent. ad Virgil. VI Æneid. 617.

PŒAS. *Phylaci* filius, Iphicli frater, & ita ex Æolidis. vide in *Iphiclo*. ſoli Apollodoro hic memoratur inter Argonautas, qui *Thaumaci* filium facit, manifeſto mendo ſcriptionis, pro *Phylaci*. ſtemma ejus recenſet Euſtath. ad Homer. Il. Β. 697, & nos in *Philoctete*, ejus filio, ſupra aliquid diximus: male vero Maſerius eum confudit cum *Phleiante*, ut vidimus.

POLLUX. nec hic nos detinebit: nam quia omnia com-

munia cum fratre Caſtore habet, ad illa, quæ ibi diximus, lectorem ablegamus.

POLYPHEMUS. *Elati* filius, Theſſalus ex Lariſſa, frater ergo Cænei. mater ejus *Hippea*, Antippi filia, ab Hygino dicitur. Scholiaſtes vero Apollonii lib. I, 50 dicit, alios eum Neptuni filium facere, nimirum eo modo, ut plures jam bipatres Heroas vidimus. an hic *Elatus* idem ſit, qui memoratur ex Pherecyde a Scholiaſt. Apoll. I, 101, filius Icari, qui Erimeden Damaſicli filiam duxit, & inde Tænarum genuit, neſcio. *Elatus* quoque Iſchyos pater eſt Schol. Pindar. III Pyth. 14 & 55. vid. ad Ovid. II Met. 599. Doliæ etiam pater teſte Steph. in Dolio, qui & Elateam urbem ab *Elato* dictam dicit. qui omnes *Elati* quomodo diſtinguendi ſint, vix apparet. Male vero hunc confundunt quidam cum *Polyphemo* Cyclope illo nobili; & fortaſſe noſter Valerius, licet diſtinguendos ſciret, ideo tamen *Polyphemi* mentionem injeciſſe videtur in hiſtoria Amyci lib. IV, 105, quia & ille Neptuni erat filius. Hic, ſenior licet, robore tamen corporis omnes fere ſuperabat; ſed pedibus præ ætate tardior. vide Orph. verſ. 168, ubi verba illa, Ἠνειὸς Καινῆος ἀφίκετο, ſunt corruptiſſima, & ſenſu plane deſtituuntur. latere putem ſub illis urbem *Æniam*, quæ erat Perrhæborum. ſed quid reſtituam non invenio. de urbe illa vide Euſtath. ad Iliad. B. 749, Strabon. lib. IX, pag. 434. *Cænea* etiam ibi recenſeri, non male ſuſpicati ſunt viri docti. ſed vellem explicuiſſent illud Ἠνειὸς Καινῆος. Porro *Polyphemus* comes ita fuit aſſiduus Herculi, ut & ſororem ejus Laonomen, Amphitryonis & Alcmenæ filiam, duxerit, teſte Schol. Apollon. I, 1240. hinc etiam Herculem, Hylam inveſtigantem, perſecutus eſt, & ſimul cum Hercule ab Argonautis relictus, ſedes poſuit in nova urbe Cio, quam condidit; licet noſter reverſum fuiſſe videatur dixiſſe lib. I, 457, ubi vide, quæ notavimus. urbs tamen nomen illud *Cii* poſtea demum conſecuta a *Cio* Mileſio, qui novis colonis inſtauravit. Ipſe *Polyphemus* obiit in pugna cum Chalybibus. vide Schol. Apollon. I, 1177 & 1354, & IV, 1470.

PRIASUS. cum fratre *Phoco* nobis fere incognitus. vide in *Phoco*.

STAPHYLUS. *Bacchi* filius, frater Phani, ſoli Apollo-

doro memoratus. In hoc vero mira temporum conturbatio; ſi enim ex Ariadna fuerit natus, poſt Argonauticam expeditionem vivere incepit. certe non diu ante. vide Schol. Apoll. III, 996. ſed fuit longe Theſeo antiquior: nam ejus filia Rhæo a quibuſdam mater Jaſonis dicitur fuiſſe; ita ut avus ſub nepote militaſſet. vide in *Jaſone*. præterea ad eum dicitur devertiſſe Lyrcus, Phoronei filius, tempore Inachi, quo nihil antiquius Græci eſſe jactabant. v. Parth. Erotic. cap. I. frater ejus etiam fuiſſe debuit *Eumedor*, de quo ſupra vidimus.

TALAUS. *Biantis* filius, frater *Arei* & *Laodoci*, in quibus egimus de eorum ſtemmate. vide & Euripidis Scholiaſten ad Phœniſſ. verſ. 423. *Abantis* filius Orpheo dicitur verſ. 147, de quo etiam ſupra late vidimus. Hos fratres omittunt Apollodorus & Hyginus. meminit ejus Apollodorus lib. I, IX, § 13, ubi ipſi dat uxorem *Lyſimachen*, Abantis filiam: & ſobolem ejus recenſet Hyginus fab. LXIX, & LXX dat ipſi *Eurynomen* Iphiti filiam. Pauſanias II, 6, duxiſſe *Lyſianaſſam*, Polybi filiam, teſtatur. Inter filios nobiliſſimus *Adraſtus*, qui qua ratione Argis regnum obtinuerit, docet Barth. ad Statium II Theb. 141. alter *Pronax* illuſtratur a Caſaubono ad Athen. XII, 6. filia *Eriphyle*, Amphiarai uxor, cujus fabula notiſſima. vide Ovid. III Art. 13. hunc male *Alaum* vocavit Cribellius in verſione metrica Orphei, deceptus prava verborum Græcorum lectione. nam pro Λαοδόκος, Ταλαὸς legit, Λαοδόκος τ' Ἀλαὸς.

TELAMON. *Æaci* filius, frater Pelei, in quo de genere eorum quædam adduximus. ejus omnes ſcriptores hujus expeditionis meminerunt. Comes hic & amicus certiſſimus Herculis, qui contra Meleagrum & alios, Herculem exſpectandum, cum Hylan quæreret, contendebat. poſtea ipſi affuit in expugnatione Trojæ. Valerius I, 351, ſolo Hercule eum minorem facit. & Statius V Theb. 378, *Herculem*, *Telamona*, & *Pelea* principes Argonautarum eſſe oſtendit. reliqua ejus notiſſima, & omnibus narrata. Uxor ejus *Peribœa*, Alcathoi, Pelopis filii, filia dicitur Apollodor. lib. III, cap. XII, § 11, quæ ab aliis dicitur *Eribœa*; de qua Muncker. ad Hygin. fab. XCVII. ita & vocat eam Pindarus VI Iſthm. 65, & Sophocl. in Ajace 570; ubi

vide Camerarium. apud Athenæum XIII, cap. I, inter conjuges Theſei recenſetur *Melibœa*, Ajacis mater, ubi *Eribœam* legendum eſſe puto.

THERSANON. *Solis* & *Leuconoes* filius, Andrius, ſoli Hygino notus, ad quem Schefferus notat, ſe credere, eundem eſſe, qui *Philammon*, & qui cap. CLI dicitur filius Apollinis & Leuconoes; Munckerus vero *Leucothoes* mallet legere, ego *Leucothees.* vide quæ hanc in rem notavimus ad Ovid. IV Met. 196. Si vero *Leucothee* filia Orchami intelligatur, qui ſeptimus a Belo, videndum, an tempora congruere poſſint. quamquam id in his fabulis nunquam nos morari debet.

THESEUS. nobiliſſimus Heros, & cujus tanti opera habebatur, ut *nihil ſine Theſeo* in proverbium abierit. quare neque hunc expertem hujus laboris eſſe voluerunt Apollodorus & Hyginus, quamvis nobis non veroſimile id videri oſtendimus in *Pirithoo.* Statius quoque lib. V, 431, cum Argonautis acceſſiſſe, ſuperbum a Marathone aſſerto, fingit: & I Achil. 156 Chiron dicit, ſe quondam vidiſſe inter Argonautas juvenem Alcidem & Theſea, quos eadem in ætate non bene jungi, recte Barthius notat, quia in Thebaide juvenem Theſea, defuncto jam Hercule, inducit: nec, ſi *Theſeus* affuiſſet, id Plutarchum omiſſurum fuiſſe credit, qui vel minima de *Theſeo* perſequitur. præterea plurimi *Theſea* antiquiorem faciunt hac expeditione, quia Hypſipyle filia fuit Thoantis, ille vero Bacchi & Ariadnes, quam a Theſeo relictam duxit Bacchus; & Apoll. III, 996, inducit Jaſonem, Medeæ narrantem fabulam Theſei & Ariadnes, ut & fecit Valerius lib. VI, 278. vide in *Jaſone.* vide etiam Meurſ. Theſ. cap. 23. Et idem Valerius lib. V, 90 expeditionem Herculis, comite Theſeo, in Amazonas priorem facit Argonautica, quamvis ex Juſtini lib. II, 4 aliquis poſteriorem poſſet credere, qui dicit, novem longis navibus Herculem profectum, cum alii primam navem bellicam Argo ſtatuant, ut paſſim etiam Valerius. de *Theſeo* ipſo, & an pater Ægeus, an Neptunus fuerit, denique de ejus tota vita, ne actum agamus, ad Plutarchi inter veteres, & Meurſii, diligentiſſimi inter recentiores ſcriptoris, vitam Theſei ablegamus.

THESSALUS. hunc inter Argonautas video reponi in indice Munckeri in Hyginum. ſed erraſſe credo auctorem, cum

non ſit nomen proprium, ſed patriæ, qua *Polyphemus*, *Pirithous*, & plures alii inter Argonautas cenſentur. neque *Theſſalus* ille, qui ab Hygino cap. CCXXV templum Jovis Dodonæi dicitur poſuiſſe, Argonauta fuit. *Theſſali* vero plures in Mythica hiſtoria reperiuntur, hoc tanquam proprio nomine inſigniti. ita Herculis filium, patrem Philippi & Antiphi, *Theſſalium* vocat Dictys lib. II, cap. 4. qui forte idem eſt, quem Heracliden, & nomen Theſſaliæ dediſſe, dicit Schol. Apollon. III, 1089, & Pindari IV Nem. 40. ſed ille poſt hæc tempora vixit. vide Muncker. ad Hygin. fab. XCVII. Æmonis filium *Theſſalum* Stephanus vocat in Αἱμονία, & alios habet hoc nomine in Δώριον & Ἔφυρα. vide & quæ notavimus ad Ovid. Ibin 285.

THESTOR. *Idmonis* filius, a nullo quidem ſcriptore Argonauticon memoratus. ſed Scholiaſtes Apollonii lib. I, 239, quoſdam crediddiſſe, illum navigaſſe cum illis, ſed proprio nomine mutato in *Idmona*, ob peritiam vaticinandi. vide in *Idmone*. ejus filia *Theonoe* nupta *Admeto*; ubi vide. filius ejus, celeberrimus ille in expeditione Trojana vates *Calchas* fuit, qui paſſim *Theſtorides* dicitur.

TIPHYS. *Hagnii* filius, Apollodoro, Apollon. I, 105, Orpheo 120, Valerio I, 481. vid. Eſchenb. ad Orphea. Hygino vero eſt *Phorbantis* & *Hymanes* filius, Bœotius. quæ mater mihi penitus ignota. ſi vero *Phorbantis* filius fuerit, *Hyrmines* ibi legendum foret: illa enim *Phorbanti* nupta, & ita *Tiphys* fuiſſet frater *Actoris*, in quo de *Phorbante* quædam notavimus. natum fuiſſe Aphormii, loco Theſpienſium, & famam obtinuiſſe, ibi ſolutam & reducem appulſam fuiſſe navem, dicit Stephanus in Ἀφορμίῳ. & hinc Orpheus Θεσπεσιέων flumen, *Siphæum*, cujus & meminit Apollon. tranſiiſſe dicit. licet alii ex Tipha oppido oriundum velint; vide Pauſan. IX, 33. Regem Aulidis fuiſſe quidam putant, ex Senecæ Med. verſ. 622. quem alii ad *Canthum*, alii ad *Erginum* referunt, ſed nos ibi jam nobis nondum liquere pronuntiavimus. Obiit in ipſo itinere, ut Apollon. II, 856; ubi vide, quæ Scholiaſt. & Val. Flacc. V, 15, Hygin. XVIII, & alii notarunt. Ammianus lib. XXII, 8, ejus monumentum & *Idmonis* & *Stheneli* non longe a Tiberenis & Macronibus eſſe narrat.

TYDEUS. *Œnei* filius, Meleagri frater, quamvis ex diverſa matre; hic enim ex *Althæa*, Tydeus ex *Peribœa*, Hip-

ponoi filia; Hygin. fab. LXIX, ubi vide Munker. quæ ab aliis *Eurybœa*, ut vidimus ſimilem variationem in *Telamonis* uxore. De ejus genere egit etiam Maſerius ad Valer. Fl. I, 387. ſæpe a Valerio Flacco; licet omiſſus ſit ab aliis, ejus virtus, Meleagri fratris conjuncta, celebratur. vid. III, 104, 705, IV, 223, & V, 574. *Parthaonides* vocatur etiam ejus frater *Meleager* III, 705; ubi alii *Tydea* intelligunt. Sed de hoc patronymico remiſimus ſupra lectorem ad Heinſium in Ovid. VIII Met. 541. *Portheus* ille ab Homero dicitur Il. Ξ. 115; ubi Euſtathius videndus eſt.

ZETES. *Boreæ* filius, frater *Calai*, in quo de illis diximus. ab eo literam Z fuiſſe inventam, tradit Etymologici Magni auctor in *Ζῆτα*: qui de eo & agit in *Ζήτης*.

ARGONAUTICÆ EXPEDITIONIS
HISTORIA A LAURENTIO BALBO LILIENSI
E VARIIS SCRIPTORIBUS EXCERPTA.

Jaſonis & Phrixi genealogia.

QUATUOR fuerunt *Deucaliones:* unus Minois filius, de quo Pherecydes; alter, de quo Hellanicus; tertius Abantis filius, de quo Ariſtippus in Arcadicis mentionem facit. quartus vero omnium antiquiſſimus ex Prometheo Japeti filio, & Pandora natus, ut ſcribit Heſiodus, qui primus, Apollonio teſte, urbes condidit, & ædes Deorum conſtruxit, primuſque omnium mortalium regnavit. Is *Pyrrham* Epimethei filiam uxorem duxit, ut teſtatur Heſiodus in primo catalogon; de cujus nomine tota Theſſalia Pyrrha fuit dicta, ſi Rhiano poetæ Græco fides habenda eſt, dicenti,

Πύῤῥαν δήποτε τήνγε παλαιότεροι καλέεσκον,
Πύῤῥης Δευκαλίωνος ἀπ' ἀρχαίης ἀλόχοιο.
Accipimus, priſcis hanc Pyrrham nomine dictam,
Antiqua antiqui de conjuge Deucalionis.

unde etiam qui ex Deucalionis genere fuerunt, Theſſaliæ regnum tenuere, ut ſcribunt Heſiodus, & Hecatæus. Ex *Deucalione* natus eſt *Hellen*, ex hoc *Æolus*, qui ventorum rationem inveniſſe dicitur, ut tradit Plinius VII Naturalis hiſtoriæ libro. Ab aliis tamen alius exiſtimatur, quibus magis accedo. Tres enim fuerunt *Æoli:* unus, qui in inſulis a ſe denominatis regnavit, atque ex earum fumo ventorum rationes deprehendit; alter, qui in Hetruria regnavit, cujus filii fuerunt *Macareus* & *Canace;* tertius vero hic Hellenis filius. cui tres fuerunt liberi, *Cretheus*, *Athamas*, & *Salmoneus.* & Crethei quidem filius fuit *Æſon*, Jaſonis pater. Salmonei autem filia fuit Tyro, quæ prius Cretheo patruo nupta, *Æſonem* eum, quem Jaſonis patrem diximus, *Pheretem*que Admeti patrem, & *Amythaonem* peperit, ex quo & Dorippe natus eſt *Melampus* vates, ut ſcribit Deri-

chidas. Poſtea a Neptuno, verſo in Enipei fluvii, quem ille amabat, formam, comprehenſa, *Neleum* Neſtoris patrem, *Peliamque* Theſſaliæ regem edidit. *Athamas* vero ex priori uxore, quæ Nephele dicta eſt, duos ſuſtulit filios, *Phrixum* & *Hellen.* ſecundum Herodotum plures, qui ait, eum ex Themiſto genuiſſe Schœneum, Erythrion, Leuconem, Pœum, ultimoſque omnium Phrixum & Hellen. ex poſteriore vero Melicertam & Learchum filios, filiamque Euryclíam habuit.

De Athamante.

Athamas, priori uxore ex vivis ſublata, *Ino* Cadmi & Harmoniæ filiam duxit uxorem, cujus inſidiis parum abfuit, quin privigni occiderentur. Illa enim novercali odio mariti liberos inſectata, perſuaſit indigenarum uxoribus, ut ſemina coquerent. Cumque ſequenti anno ſemen coctum fructus ſperatos non ſuppeditaret, Athamas ad Delphicum Pythici Apollinis oraculum ſacerdotes miſit, qui de ejus mali remedio Deum conſulerent; verum, ab eadem corrupti, Athamantis filios ad placandos Deos ſacrificari, Apollinem poſtulare nuntiaverunt. Cumque ii, omnibus jam ad ſacrificium neceſſariis rebus paratis, ad aras mactandi admoverentur, Nephele mater ſuperinducta nube eos eripuit, arietemque aureo vellere conſpicuum dedit, cui inſidentes à novercæ inſidiis evaderent: ſed cum fugientes pontum transfretarent, *Helle* muliebri pavore perculſa in mare decidit, atque undis ſubmerſa ponto nomen indidit. *Phrixus* vero in Colchos ſe contulit, atque ibi arietem Mercurii conſilio, ut Apollonius ſcribit, Jovi Phrixio ſacrificavit, Æetæque regis filiam, duxit uxorem, quam ex Græcis Herodotus & Apollonius, ex Latinis Ovidius & Valerius *Chalciopen* vocant. Arceſilaus vero & Heſiodus ἐν ταῖς μεγάλαις ἠοίαις (operis nomen eſt) *Jophoſſam* appellant. Pherecydes in ſexto *Eveniam* ſcribit vocatam, fuiſſe autem ei cognomentum *Chalciopæ* & *Ophiuſæ.* ex ea Phrixus quatuor ſuſtulit liberos, *Argum*, *Phrontim*, *Melana*, & *Cythiſoron*, quem Ephorus *Cythorum* appellat; addit & quintum Epimenides, *Presbonem* nomine.

De Phrixi noverca.

Cauſam novercæ in mariti filios odii, alii aliter referunt.

dicunt enim, eo quod Phrixus illicitum infandumque novercæ amorem ſpreverit, ab ea apud patrem inceſti tentati inſimulatum. de nomine tam matris, quam novercæ eorum, mira eſt, & prope ridicula apud ſcriptores Græcos differentia. plures dicunt, *Nephelen* matrem fuiſſe, *Ino* autem novercam. Sophocles in Athamante *Nephelen* autumat vocatam novercam; Hippias *Gorgopin;* Pherecydes *Themiſto;* Pindarus in hymnis *Demoticen.*

De ariete aureo.

Arietem hunc, de quo tam multa Græci fabulantur, multi aureum vellus habuiſſe narrant, quos ſecutus eſt Orpheus, & Apollonius, qui Mercurii contactu aureum dicit effectum lib. ſecundo. Simonides vero album interdum, interdum purpureum fuiſſe dicit. Acuſilaus ex mari purpureo infectum colore aſſerit. Apollonius vocem humanam habuiſſe ſcribit,

——————— ἀλλὰ καὶ αὐδὴν
Ἀνδρομέτην προέθηκε καλὸν τέρας.
——————— *vocem virilem*
Formoſum emiſit monſtrum.

quod & Hecatæus affirmat. Sunt, qui dicant, hoc ideo fictum, quia Phrixus navicula, arietis figuram in prora habenti, navigavit. Dionyſius vero Mitylenæus, *Crion*, (quod nomen apud Græcos *arietem* ſignificat) Phrixi pædagogum fuiſſe, atque cum ipſo ad Colchos navigaſſe: unde ea omnia ficta eſſe narrat.

De Jaſonis parentibus.

Jaſonem omnes ex *Æſone* genitum affirmant. De ejus matre non uſque adeo inter ſcriptores convenit. Apollonius & Valerius *Alcymedem*, Clymenes filiam, fuiſſe ſcribunt; Steſichorus *Eteoclymenen;* Pherecydes *Alcymeden*, Phylaci filiam; Herodotus *Polyphemen* Autolyci. Andron in abbreviatione τῶν συγγενειῶν *Thogniten*, Laodici filiam, Jaſonis matrem fuiſſe autumat. Natus eſt autem ex his duobus ſolus *Jaſon*, ut ſentit Apollon. Ibycus filiam etiam eis dicit fuiſſe, *Hippolyten* nomine. Diodorus, filium alterum *Promachum* appellatum. Fuit autem Jaſon a Chirone Centauro educatus, a quo etiam Medicinæ artem didicit, unde *Jaſon* eſt appellatus. Pindarus, φὴρ δὲ θεῖος Ἰάσονα κικλήσ-

κων προστήνδα: ubi interpres, *παρὰ τὴν ἴασιν* vocatum dicit, quod etiam Apollini Commentarius confirmat.

De Pelia rege.

Pelias, ut vidimus, Neptuni ex Tyro Salmonei filius, magnam Theſſaliæ partem ditione tenuit. Filium habuit *Acaſtum*, qui Argonautas comitatus eſt, ſecundum Apollonium & Valerium. Orpheus nullam de Acaſto mentionem facit. Diodorus quoque in V, maſculis filiis Peliam caruiſſe ſcribit. Filias habuit *Alceſtim*, *Amphinomen*, & *Evadnen*, de quibus idem eodem libro. Habuit & *Pelopeam*, de qua Apollonius in I. Is cum ſortem accepiſſet, ſe illius manibus moriturum, quem altero pede nudo ad ſe venientem vidiſſet, omnibuſque Diis, Junone excepta, ſolemnia forte ſacra faceret, Jaſon ad ſacra feſtinat, Junonem Deam ſub vetulæ ſpeciem in Anauri ripa invenit, quæ ſe quidem tranſire in ulteriorem torrentis ripam velle, timere tamen ſimulabat. Eam Jaſon humeris acceptam tranſvexit, altero calceo ſub torrentis cœno relicto, ſicque ad Peliam ſe contulit. Quem cum rex vidiſſet, oraculi memor, animo cogitare cœpit, quo pacto mortem illi moliretur. Cumque intelligeret, nullam ea tempeſtate rem eſſe majoris periculi, quam vellus aureum, quod in templo Martis apud Colchos erat, nepoti perſuaſit, ut ad id rapiendum eo proficiſceretur, auxilium opeſque ſuas pollicitus. Cui cum Jaſon aſſenſiſſet, navem juſſit fabricari gracilibus clavis, ut ſcribit Timagetus, quo citiſſime diſſolveretur, omneſque in mari perderet. Ceterum architectus contrarium fecit: cujus rei fide accepta, *Acaſtus* cum Argonautis navigavit. Alii tamen dicunt, Minervæ induſtria ab *Argo* Areſtoris filio compaginatam, eique navis reſarciendæ provinciam injunctam, atque de ipſius nomine *Argo* fuiſſe dictam. Pherecydes tamen ab *Argo*, Phrixi filio, vocatam fuiſſe dicit, alii a velocitate. Fuit autem vocalis, & fatidica. Nam Minerva lignum in ea ex quercu Dodonea fixit, ut Apollonius lib. I fabulatur. Poſtea hæc navis ob memoriam inter ſidera collata dicitur.

De Argonautarum profectione.

Jaſon, principum Græciæ juventute collecta, ipſe omnium dux, ut Apollonius, Orpheus, & Valerius teſtantur, (quam-

vis Diodorus aliter) navigare cœpit, ſolvens ex Pagaſis; quod Magneſiæ eſt promontorium, dictum ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεπῆχθαι τὴν Ἀργώ. Demetrio vero Scepſio, ab eo quod multis fontibus irrigatur. Atque ad Lemnon primum applicuit, ubi paulo ante Lemniæ mulieres viros omnes (præter Thoantem regem, a quo *Hypſipyle* filia manus abſtinuerat) internecione ſuſtulerant, eo quod illi uxores averſati, ut ab eis diſcederent, bellum Thracibus intulerant, quia peſſimum earum odorem a Venere injectum ferre non poſſent. Myrtilus tamen ſecundo Lesbiacorum aliter. Scribit enim, Medeam, cum juxta Lemnon Argonautæ a Colchide redeuntes navigarent, præ zelotypia venenum in Lemnon jeciſſe, quo Lemniis feminis graviſſimus atque intolerandus eſt injectus odor. Argonautæ igitur ad inſulam appulſi paſſim cum feminis coierunt, benigne ab illis accepti, ut Herodotus, Apollonius, Orpheus, & Valerius ſcribunt: Æſchylus tamen in Hypſipyle, eas in armis egreſſas Argonautas acceſſu prohibuiſſe ſcribit, quoad illi jurejurando fidem fecerunt, ſe cum eis coituros. Sophocles etiam in Lemniis prœlium grave inter utroſque commiſſum ſcribit: quos ſecutus videtur Papinius in Thebaidi. Ibi cum Argonautæ, deliciis & voluptati vacantes, moræ aliquantum traxiſſent, ab Hercule increpiti ad Samothraciam navigarunt, ubi Cabiris, ut diximus, ſunt initiati. Inde profecti, cum ad Trojam appuliſſent, Hercules Laomedontis filiam *Heſionem*, monſtro objectam, liberavit, ut & Valerius & Diodorus affirmant. Apollonius & Orpheus nullam ejus rei mentionem faciunt. Inde navigantes ad Cyzicum pervenerunt.

De Cyzico & ejus morte.

Erat autem *Cyzicus* a Theſſalis oriundus. Fuit enim ex Æneo Apollinis & Stilbes filio natus, qui relicta Theſſalia, ubi fuerat ortus, in Helleſpontum ſe contulit, atque ibi regnavit, & *Ænetem* Eufori Thraciæ regis filiam uxorem duxit, ex qua Cyzicum genuit, qui Dolionum tenuit imperium in Iſthmo & Cherſoneſo, quæ eſt in Propontide, juxta quam mons eſt *Arctos* nomine, quem ſemiferi & horrendi gigantes ex terra geniti incolebant, quos etiam Theſſalos dicit fuiſſe Deilochus. Apollonius vero in Her-

culis perniciem a Junone fabuloſe ſcribit creatos. fabulæ a leone Nemæo genitos volunt. Polygnoſtus vero prædones eos fuiſſe ſcribit. Hi aſſidue cum Cyzicenis bellum gerebant. *Cyzicus* igitur, cum Argonautas ſibi cognatione conjunctos didiciſſet, eos benigniſſime ſuſcepit hoſpitio. cumque a Cyzico digreſſi eſſent Argonautæ, proxima nocte tempeſtate acti, eodem reverſi ſunt: quos Cyziceni hoſtes cum crederent, adverſus eos egreſſi plane internecione ſublati ſunt; inter quos ipſe Cyzicus ab Jaſone eſt interemtus, ut & Apollonius, & Valerius ſcribunt. Orpheus ab Hercule, alii a Dioſcuris. Erat Cyzici uxor *Clite* nomine, Meropis Percoſii Pitycæ regis filia, ut narrant Deilochus & Ephorus: quæ cum virum exſtinctum videret, doloris impatiens ſuſpendio vitam finivit, ut & Apollonius libro I, Orpheus in Argonauticis, & Evanthes, & Deilochus ſcribunt.

De Hercule ab Argonautis relicto.

Hinc Argonautæ, juſtis Cyzico ſolutis, ad Myziam navigarunt, ubi *Hylas* aquatum egreſſus, ut diximus, in fontem decidit: quem cum Hercules inquirendo totum montem perluſtraſſet, diuque exſpectatus non rediiſſet, Argonautæ moræ diutinæ impatientes, relicto eo, vela fecerunt, ut & Apollonius, & Valerius ſcribunt. Dionyſius tamen Mitylenæus ad Colchos uſque cum Argonautis navigaſſe affirmat. Idem etiam Demaratus. quod & Diodorus affirmare videtur. Heſiodus vero in Ceicis nuptiis in Magneſia relictum ſcribit. Antimachus in Lyde, eo quod ipſius onere navem gravatam ſubmergendam timebant, relictum ait. quod & Poſidippus, & Pherecydes dicunt. Ephorus, ipſum ſua ſponte apud Omphalem Lydiæ reginam manſiſſe, teſtatur.

De Phineo.

Argonautæ vero ad Bithyniam appulerunt, ubi *Pollux* Amycum regem cæſtibus victum obtruncavit. Hinc navigantes ad Phineum regem pervenerunt, Ageonis ſecundum Hellanicum filium, at Heſiodo, Aſclepiade, Antimacho, & Pherecyde teſtantibus, Phœnicis & Caſſiopeæ. Hunc quidam in Paphlagonia, alii in Salmydeſſo Thra-

ciæ regnaſſe ſcribunt. quem Boreæ filii Zetes & Calais ab Harpyiis, ut vidimus, liberarunt: de quo, quia multa apud Latinos, non plura verba faciam.

De morte Idmonis & Tiphyos.

Ab eo digreſſi, Cyaneas petras, quas & Symplegadas vocant, non ſine periculo tranſierunt, columba duce, ut ſcribit Aſclepiades, & Ovidius in Ibi tangit. Inde ad Mariandyniam venerunt, ubi *Lycus* Daſcyli filius regnabat, qui Argonautas libentiſſime ſuſcepit hoſpitio, & quod a Græcis patrem ſuum Pelopem honoratum ſciebat, & quod Pollux Amycum Priolæ fratris occiſorem interfecerat. Hic *Idmon* vates Phœbi filius, aut verius Abantis, diem obiit ab apro vulneratus, ut Nymphis in Heraclea, & Promaditas, atque Herodotus teſtantur, qui eum in Heracleæ foro ſepultum ſcribit. Hic etiam obiit *Tiphys* navis gubernator, ut Apollonius, Nymphis, & Orpheus atque Valerius ſcribunt. Herodotus vero non euntibus, ſed redeuntibus Argonautis, mortuum ait. Hic navis gubernandæ munus mandatum eſt *Ancæo*, Neptuni & Aſtypaleæ filio, ut inquit Simonides, atteſtantibus Apollonio, atque Orpheo. Theotimus *Euphemum*, Neptuni & Mecionices filium; Herodotus vero, *Erginum* poſt Tiphyos obitum navem gubernaſſe ſcribit, quem ſecutus videtur Valerius. Quod fuit in cauſa, ut & Apollonius, & Valerius, in gubernationis petitione horum omnium meminerint. Defunctis Heroibus ſolutis exſequiis, ſecundo vento per varia loca ad Colchos appulerunt. & quia multa hic de Æeta, atque ejus filiis dicuntur, non erit abs re, dummodo non ſit lectoribus faſtidio, nonnulla de iis, quæ varie ab auctoribus traduntur, ſtrictim breviterque narrare. Non enim ad hujus poetæ modo carmina intelligenda, verum ad alios etiam maximum parient emolumentum.

De Æeta Colchorum rege.

Diodorus in quinto, Dionyſius Mileſius in primo τῶν Ἀργοναυτικῶν, ſcribunt, Solem duos habuiſſe filios, *Æetam* & *Perſeum*, quem alii *Perſen* vocant, ac *Æetam* quidem in Colchide & Mæotide; *Perſeum* vero in Taurica regnaſ-

ſe, atque ex indigenis feminam quandam duxiſſe uxorem, ex qua *Hecaten* ſuſceperit. quæ cum venationis, plus quam muliebrem ſexum decebat, eſſet ſtudioſa, dum in luſtris ac montibus diu verſatur, herbas invenit complures, præſentanei multas atque efficaciſſimi veneni, multas etiam ſaluberrimas. Sed cum natura immitis eſſet atque crudelis, primum veneno patrem Perſeum ſuſtulit, & ad Æetam patruum confugit. cui nupta Circen & Medeam genuit. Epimenides Corinthium genere fuiſſe tradit Æetam, Sole patre atque Ephyre matre natum. Diophanes vero libro Ponticarum hiſtoriarum primo, ex Sole & Antiope genitum affirmat, cui etiam ſubſcribit Eumelus quidam poeta, ut ex ejus carminibus, quæ ſubjiciam, intelligi poteſt.

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ δ᾽ Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο
Ἠελίου καὶ Ἀντιόπης, τότε δ᾽ ἄνδιχα χώρην
Δάσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός.
Ἣν μὲν ἔχ᾽ Ἀσωπὸς, ταύτην πόρε δίῳ Ἀλωεῖ.
Τὴν δ᾽ Ἐφύρην κτεάτεσσ᾽ Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν.
Αἰήτης δ᾽ ἄρ᾽ ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν,
Εἰσοκεν αὐτὸς ἵκοιτ᾽, ἢ ἐξ αὐτοῖο τις ἄλλος,
Ἢ παῖς, ἢ δ᾽ υἱωνὸς, ὃδ᾽ ἵκετο Κολχίδα γαῖαν.
Natus ubi Æetas & Alœus ſanguine Phœbi
Pulchræque Antiopes. regionem rite ſuis tunc
Diviſit natis Phœbus. donavit Alœo,
Quam pater Aſopus nitidis circumfluit undis.
Aſt Ephyren dedit Æetæ, quam ſponte reliquit
Buno Mercurii ſervandam, dum ipſe rediret,
Aut aliquis, natuſve, aut ſanguine tandem
Junctus: at ipſe quidem conceſſit Colchida terram.

Is cum ſortem accepiſſet, ſe tunc periturum, cum externi homines, navigio ad Colchos vecti, vellus aureum ſuſtuliſſent, effera crudelitate ſe hoſpites ſacrificare oſtentavit, ut, divulgata tantæ immanitatis fama, externi omnes ab acceſſu averterentur. Lucum etiam, in quo vellus aureum erat ſuſpenſum, muro circumdedit: quæ, & multa alia, quia vulgatiſſima ſunt, conſulto prætermitto. poſtea demum, cum Medeam filiam cum Jaſone, rapto vellere, comperiſſet aufugere, illos cum magnis copiis fruſtra eſt inſecutus; nihil enim perfecit, ut vult Apollonius. Dio-

nyſius Mileſius ſcribit, eum Argonautas conſecutum, atque Iphim Euryſthei fratrem interfeciſſe. Diodorus a Meleagro teſtatur occiſum. Valerius aliud innuit.

De Æetæ filiis.

De filiis, quos Æetas genuit, non adeo inter ſcriptores convenit, ideoque breviter de unoquoque ſigillatim, ut poſcet ordo, dicemus. Diodorus, ut ſuperius, uxorem ſcribit habuiſſe *Hecaten* Perſæ filiam, quam alii Jovis dicunt eſſe. Heſiodus Perſæ & Aſteriæ, Orpheus Cereris,

> *Καὶ τότε δὴ δ' Ἑκάτην Δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν.*
> *Æthereaſque Ceres Hecaten emiſit in auras.*

Bacchylides nocte genitam fabulatur. Ἑκάτα δαδοφόρου νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ. Pherecydes ex Ariſtæo natam. Muſæus Jovem ait Ariſterim compreſſiſſe, & ex ſe gravidam Perſeo tradidiſſe, quæ poſtea *Hecaten* peperit: unde credita eſt Perſei filia. ex hac Circen & Medeam natas Æetæ ſcribit Dionyſius Mileſius. Diodorus filium etiam, quem alii *Abſyrtum*, ipſe, atque ex noſtris Pacuvius, *Ægialeum* vocat. Alii etiam multi *Chalciopen* addunt, de qua dictum eſt. Heſiodus Solis filiam Æetæque ſororem, non filiam, fuiſſe *Circen* ſcribit in Theogonia. Ejuſdem eſt Apollonius opinionis, qui eam in tertio ab Apolline patre raptam, & in Italiam curru paterno vectam canit. Et in quarto Perſes & Solis filiam vocat. Orpheus etiam Apollinis & Aſteropes filiam dicit. de ejus nomine *Κιρκαῖον πεδίον* vocatum ſcribit Timæus: cujus etiam facit mentionem Apollonius. quin & de Æetæ regis uxore non parva eſt diſſenſio. nam cum multi Hecaten dicant, Apollonius eum *Aſterodiam* Caucaſiam Nympham duxiſſe, deinde *Idyiam* Oceani & Tethyos filiam. Sophocles *Neæram* Nereidum unam. Heſiodus in Theogonia *Idyiam*. Qui Naupactica compoſuit *Eurylyten* ait.

De Medea.

Medea Æetæ ex quacunque matre filia fuit, quæ & veneficiis & herbarum cognitione adeo præſtitit, ut ne Circæ quidem cedere haberet, natura tamen miſericors, & ab immani patris crudelitate abhorrens, ſi Diodoro credi-

nius. Hæc eo pacto, quo dicemus, cum Jaſone, rapto aureo vellere, confugit, atque in Theſſaliam Jolchon venit, Peliamque regem, filiabus ejus per ſpeciem pietatis deceptis, interemit. Decemque annos cum Jaſone concorditer vixit, atque ex eo *Dydimum*, *Alcymenum*, *Theſſandrum*que & *Theſſalum* genuit. Repudiata Medea, Jaſon *Glaucam*, ſeu *Creuſam*, filiam Creontis, Corinthiorum regis, uxorem duxit. quam nuptiarum die Medea cum tota ſimul Creontis regia, miſſa corona venenis illita, vel naphtæ bitumine, ut Plinius ait, cremavit: filioſque in mariti ultionem trucidavit omnes, præter *Theſſalum*, qui fuga ſibi ſalutem peperit. Jaſon, cum doloris vim ferre non poſſet, propria ſibi manu mortem conſcivit. *Medea* ad Ægeum Athenarum regem confugit. Cui nupta *Medum* filium peperit, qui poſtea Mediæ imperavit. Inde expulſa, ad partes Aſiæ tranſiens (ait Diodorus) cuidam clariſſimo nupſit regi, ex quo dicunt filium *Medum* peperiſſe. multa alii, quæ recenſere magis faſtidio, quam voluptati, lectoribus futurum puto. Hæc non omittenda, Latinis forſan adoleſcentibus non valde nota, eam poſt mortem in Elyſio Achilli nupſiſſe, quod primus dixit Ibycus, poſt hunc Simonides, & Apollonius. ad quod alluſit *Angelus Politianus*, vir de literis Latinis optime meritus. Is in Umbra hæc ait:

Elyſium tenet, hic magna venerabilis umbra
Mutatis pulchram auſpiciis ſibi Colchida junget,
Solis & Oceani volventi progener ævo.

De Abſyrto.

Abſyrtus ex Æeta & Aſterodia natus eſt, ut inquit Apollonius. Sophocles in Scythis, non ex eadem matre natos Abſyrtum & Medeam ſcribit, ſed Medeam ex Idyia, Abſyrtum vero ex Neæra. Fuit hic ob pulchritudinem *Phaethon* cognominatus, ut Apollonius libro III Argonauticorum, & Timonax Scythicorum II, affirmant. Sunt, qui eum Medea natu majorem dicant. Pherecydes in VII, a Medea ex lectulo ſublatum, & ad Jaſonem perductum, ac ut Æetam regem Argonautas inſequentem morarentur, dilaceratum. Sophocles in Tragœdia, quæ *Colchides* inſcribitur, in patris ædibus laniatum ſcribit; Apollonius vero, ad Iſtrum

fluvium occiſum; Plinius in inſulis, quæ ex ejus nomine *Abſyrtides* nuncupantur.

De amoribus Jaſonis & Medeæ.

Cum igitur Jaſon cum ceteris Argonautis ad Colchos appuliſſet, Medeam forte ad Phaſidis ripam obviam habuerunt. Cui cum Jaſon adventus ſui cauſam expoſuiſſet, atque ab ea de crudelitate patris eſſet edoctus, ad preces converſus, fidem de conjugio dedit, ſi in diſcrimine ab ea præmonſtrato ſibi ferret opem. Acceperat ante Jaſon a Venere *Iyngem* aviculam, quam Magæ mulieres tantam ad amatoria carmina vim habere credunt, ut omnia venena & unguenta ad amorem excitandum idonea *Iynges* appellentur, teſte Theocriti antiquo expoſitore, & ipſe amor *Iynx* a Pindaro dicatur, qui ſcribit in Pythiis, hanc ex Olympo a Venere primum ad mortales allatam, & datam Jaſoni, ut ea ſimul, & quibuſdam amatoriis carminibus, quæ ipſa Venus docuit, Medeam amore ad inſaniam uſque accenderet. Quod cum feciſſet, illa amore correpta, ſuum ei promiſit auxilium, ac ſtatim herbas medicatas & pharmaca quædam dedit, quibus a taurorum igne tutus eſſet, & eum, quid agendum eſſet, docuit. Ille Æetam convenit, ac vellus aureum popoſcit: quod Æetas ſe daturum eſt pollicitus, ſi tauros ingentes flammas ore & naribus evomentes junxiſſet, atque dentes, quos ipſe daret, ſeminaſſet, hominesque armatos, qui inde pullularent, viciſſet. Quæ omnia Jaſon, Medea opitulante, cum ſumma ſua laude & gloria perfecit. Æetas tamen vellus aureum negavit, ac de Argonautarum cæde tractare cœpit.

De ſerpentis dentibus,

Erant autem dentes, quos Jaſon ſeminavit, non ex eo ſerpente, qui vellus in arbore ſuſpenſum cuſtodiebat, ſed ex eo, quem Cadmus in Bœotia interemerat. Nam ut Pherecydes in VII, & Apollonius in III ſcribunt, Minerva dentes ſerpentis illius, quem Cadmus in Martis fonte occidit, Cadmo & Æetæ æquis portionibus diviſit. & Cadmus quidem continuo, quos ipſe acceperat, Martis juſſu ſeminavit, ex quibus plures homines armati ſunt nati, qui omne

mutuis vulneribus ſe confoderunt, quinque dumtaxat relictis, *Udæo*, *Chthanio*, *Peloro*, *Hyperenore*, *Echione*; quos Cadmus ad condendam urbem ſocios ſibi aſſumſit. Ex his gentem quandam vocatam *Spartos*, ſcripſit Hippias Delius, & ſimiliter Atrometus. Eorum etiam mentionem apud noſtros facit *Lactantius Firmianus*. Æetas autem ſuum patrem, uſque ad tempus illud, quo Jaſon vellus aureum petebat, ſervavit, tuncque ei dentes tradidit ſeminandos.

De vellere rapto.

Nocte proxima, cum Æetas, de Jaſonis ſociorumque cæde cogitans, Colchorum proceres conſulendos congregaſſet, Medea clam ad Jaſonem confugit, eumque ad lucum Martis, ubi vellus aureum in arbore ſuſpenſum a dracone ſervabatur, deduxit. Serpentemque ſemper vigilem magicis cantibus ſopivit; & ita Jaſon vellus aureum rapuit, atque cum Medea in navem ſe recepit. Hoc & Apollonius, & Antimachus, & Valerius: Pherecydes vero & Herodotus occiſum ab Jaſone ſerpentem, ſicque vellus ſublatum ſcribunt. Qui Naupactica compoſuit, Medeam fingit, cum ex patris domo fugeret, ſecum aureum vellus, quod in Æetæ domo ſervabatur, attuliſſe.

De Jaſonis reditu.

De reditu Argonautarum, non ſatis inter Græcos ſcriptores convenit. Timagetus primo de portubus libro, *Iſtrum* ſcribit ex Germaniæ montibus derivari, & inde in Germaniæ influere paludem, poſtea in duo ſcindi brachia, & unum quidem in Germanicum pelagus, alterum vero in Euxinum pontum deferri, ac per hoc navigantes Argonautas in Etruriam veniſſe. Hunc ſecutus videtur Apollonius, Apollonium Valerius. Hecatæus Mileſius per Phaſidem in Oceanum evaſiſſe, inde Nilum penetraſſe, atque ex hoc in noſtrum mare perveniſſe, aſſeverat. Hoc Artemidorus Epheſius falſum eſſe convincit. Siquidem *Phaſis* fluvius Oceano minime infunditur. idem & Eratoſthenes in tertio Geographicorum confirmat. Scymnus per Tanaim autumat navigantes in magnum mare, inde in noſtrum veniſſe. Heſiodus autem, & Pindarus in Pythiis, & Antimachus in Ly-

de, per Oceanum dicunt eos ad Lybiam appulſos, navem humeris vehentes in mare noſtrum exiiſſe. Sophocles in Scythis, & Callimachus, atque Herodotus in Argonautis, eadem, qua Colchos petierant, reverſos ajunt. unde hi, qui ex Colchis in Adriam venerunt Argonautas veſtigantes, eos non invenerunt: qui vero per Cyaneas petras navigarunt, eos in Corcyra inſula invenerunt.

De Jaſonis & Medeæ nuptiis.

Valerius Jaſonis & Medeæ nuptias in Peuce inſula fieri inceptas eſſe ſcribit: inopino autem Abſyrti adventu turbatas & interruptas. Timæus, & Apollonius libro quarto, atque Orpheus, Corcyræ ſcribunt. Dionyſius Mileſius in ſecundo Argonauticon Byzantii, Antimachus in Lyde, prope fluvium dicit Jaſonem cum Medea coiiſſe. Philetas in Telepho, in Alcinoi domo celebratas ait. Timonax vero Siculorum primo, in Colchide ſcribit Medeam ab Jaſone ductam uxorem, non ſine patris Æetæ voluntate. Refert autem idem, monſtrari juxta Pontum hortos quoſdam Jaſonis vocatos, ex quibus ipſe diſceſſum fecit, & in Æea gymnaſia quædam, & thalamum, in quo Medea Jaſoni nupſit, & prope urbem ſacellum Jaſonis, & multa alia. Hæc ex Apollonii interprete. Ceterea vero, quæ de Argonautarum in Theſſaliam reditu a Græcis ſcriptoribus traduntur, conſulto prætermiſimus, tum quia ad Valerii noſtri opus intelligendum, non multæ frugis ſunt, tum ne ἐγχειρίδιον hoc, in quo breves eſſe laboravimus, volumen juſtum excederet.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER PRIMUS.

LIBRI PRIMI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

LIVOR agit Pelian, Phrixeo vellere ſortem
Qui replet Æſoniden. Argo, natoſque Deorum,
Divarum auxilio longum in diſcrimen Iaſon
Apparat: augurioque inſignem lætus agreſti
Perſuadere fugam haud fruſtra conatur Acaſto.
Æquoreum oblato placat libamine patrem
Æſonides: Mopſuſque canit quæ certa tulerunt
Fata Deæ. miranda refert Phœbeius Idmon.
Ingemit Alcimede. grandævus lætior Æſon
Fert animum. tranſtris ſcribuntur nomina. Acaſtus
Tollitur. unda fremit. deſævit in Æſona crudus
Innocuum Pelias: matremque & pignora truncat.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER I.

PRIMA Deûm magnis canimus freta pervia natis,
Fatidicamque ratem; Scythici quæ Phaſidis oras
Auſa ſequi, medioſque inter juga concita curſus
Rumpere, flammifero tandem conſedit Olympo.
Phœbe, mone; ſi Cymææ mihi conſcia vatis
Stat caſta cortina domo; ſi laurea digna
Fronte viret. Tuque o, pelagi cui major aperti
Fama, Caledonius poſtquam tua carbaſa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos,
Eripe me populis, & habenti nubila terræ,
Sancte pater; veterumque fave veneranda canenti
Facta virûm. verſam proles tua pandet Idumen
(Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, & in omni turre furentem.
Ille tibi cultuſque Deûm, delubraque genti
Inſtituet; cum jam genitor lucebis ab omni

Parte poli. neque enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Grajis Helice ſervanda magiſtris:
Seu tu ſigna dabis, ſeu te duce Græcia mittet
Et Sidon Niluſque rates. nunc noſtra ſerenus
Orſa juves; hæc ut Latias vox impleat urbes.
Hæmoniam primis Pelias frenabat ab annis,
Jam gravis & longus populis metus: illius amnes,
Ionium quicunque petunt: ille Othryn & Hæmum,
Atque imum felix verſabat vomere Olympum.
Sed non ulla quies animo fratriſque paventi
Progeniem Divûmque minas: hunc nam fore regi
Exitio vateſque canunt, pecudumque per aras
Terrifici monitus iterant: ſuper ipſius ingens
Inſtat fama viri, virtuſque haud læta tyranno.
Ergo anteire metus, juvenemque exſtinguere pergit
Æſonium; letique vias ac tempora verſat.
Sed neque bella videt, Grajas neque monſtra per urbes
Ulla. Cleonæo jam tempora cluſus hiatu
Alcides: olim Lernæ defenſus ab angue
Arcas; & ambobus jam cornua fracta juvencis.
Ira maris, vaſtique placent diſcrimina ponti.
Cum juvenem, tranquilla tuens, nec fronte timendus,
Occupat; & fictis dat vultum & pondera verbis:
Hanc mihi militiam, veterum quæ pulchrior actis,
Annue; daque animum. noſtri de ſanguine Phrixus
Cretheos ut patrias, audiſti, effugerit aras.
Hunc ferus Æetes, Scythiam Phaſinque rigentem
Qui colit, (heu magni Solis pudor!) hoſpita vina
Inter, & attonitæ mactat ſollemnia menſæ,
Nil noſtri Divûmque memor. non nuntia tantum

Fama refert. ipſum juvenem tam ſæva gementem,
Ipſum ego, cum ferus feſſos ſopor alligat artus,
Aſpicio: meque aſſiduis lacera illius umbra
Queſtibus, & magni numen maris excitat Helle.
Si mihi, quæ quondam, vires; vel pendere pœnas
Colchida jam, & regis caput hic atque arma videres.
Olim annis ille ardor hebet: necdum mea proles
Imperio, & belli rebus matura marique.
Tu, cui jam curæque vigent, animique viriles,
I decus: & pecoris Nephelæi vellera Grajo
Redde tholo; ac tantis temet dignare periclis.
Talibus hortatur juvenem, propiorque jubenti
Conticuit, certus Scythico concurrere ponto
Cyaneas: tantoque ſilet poſſeſſa dracone
Vellera; multifidas regis quem filia linguas
Vibrantem ex adytis cantu dapibuſque vocabat;
Et dabat heſterno liventia mella veneno.
Mox taciti patuere doli, nec vellera curæ
Eſſe viro; ſed ſeſe odiis immania cogi
In freta: qua juſſos ſic tandem quærere Colchos
Arte queat. nunc aerii plantaria vellet
Perſeos, aut currum, ut ſævos frenaſſe dracones
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, & flava quercum damnavit ariſta.
Heu quid agat? populumne lèvem, veterique tyranno
Infenſum, atque olim miſerantes Æſona patres
Advocet? an ſocia Junone & Pallade fretus
Armiſona, ſuperet magis & freta juſſa capeſſat?
Si qua operis tanti domito conſurgere ponto
Fama queat. tu ſola animos mentemque peruris,

Gloria: te viridem videt immunemque ſenectæ
Phaſidis in ripa ſtantem, juveneſque vocantem.
Tandem animi incertum confuſaque pectora firmat
Relligio: tendenſque pias ad ſidera palmas,
Omnipotens regina, inquit, quam, turbidus atro
Æthera cæruleum quateret cum Juppiter imbre,
Ipſe ego præcipiti tumidum per Enipea nimbo
In campos & tuta tuli: nec credere quivi
Ante Deam, quam te tonitru nutuque repoſci
Conjugis, & ſubita raptam formidine vidi:
Da Scythiam Phaſinque mihi: tuque, innuba Pallas,
Eripe me. veſtris egomet tunc vellera templis
Illa dabo: dabit auratis & cornibus igni
Colla pater: niveique greges altaria cingent.
Accepere Deæ, celerique per æthera lapſu
Diverſas petiere vias. in mœnia pernix
Theſpiaca ad carum Tritonia devolat Argum.
Moliri hunc puppim jubet, & demittere ferro
Robora: Peliacas & jam comes exit in umbras.
At Juno Argolicas pariter Macedumque per urbes
Spargit, inexpertos tentare parentibus Auſtros
Æſoniden: jam ſtare ratem; remiſque ſuperbam
Poſcere quos revehat, rebuſque in ſecula tollat.
Omnis avet, quæ jam bellis ſpectataque fama,
Turba ducum, primæ ſeu quos in flore juventæ
Tentamenta tenent, necdum data copia rerum.
At quibus arvorum ſtudiumque inſontis aratri,
Hos ſtimulant, magnaque ratem per luſtra viaſque
Viſi laude canunt manifeſto in lumine Fauni,
Silvarumque Deæ, atque elatis cornibus Amnes.

Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat: Arcadio cujus flammata veneno
Tela puer, facileſque humeris gaudentibus arcus
Geſtat Hylas: velit ille quidem; ſed dextera nondum
Par oneri, clavæque capax. quos talibus amens
Inſequitur, ſolitoſque novat Saturnia queſtus:
O utinam Grajæ rueret non omne juventæ
In nova fata decus: noſtrique Euryſtheos hæc nunc
Juſſa forent! imbrem & tenebras ſævumque tridentem
Jam jam ego, & inviti torſiſſem conjugis ignem.
Hunc quoque nec ſocium noſtræ columenve carinæ
Eſſe velim; Herculeis nec me unquam fidere fas ſit
Auxiliis, comiti & tantum debere ſuperbo.
Dixit: & Hæmonias oculos detorquet ad undas.
Fervere cuncta virûm cœtu, ſimul undique cernit
Delatum nemus, & ducta reſonare bipenni
Litora: jam pinus gracili diſſolvere lamna
Theſpiaden; jungique latus, lentoque ſequaces
Molliri videt igne trabes; remiſque paratis
Pallada velifero quærentem brachia malo.
Conſtitit ut, longo moles non pervia ponto,
Puppis, & ut tenues ſubiere latentia ceræ
Lumina, picturæ varios ſuperaddit honores.
Hic inſperatos Tyrrheni tergore piſcis
Peleos in thalamos vehitur Thetis: æquora delphin
Corripit: illa ſedet dejecta in lumina palla;
Nec Jove majorem naſci ſuſpirat Achillem.
Hanc Panope, Dotoque ſoror, lætataque fluctu
Proſequitur nudis pariter Galatea lacertis,
Antra petens: Siculo revocat de litore Cyclops.

Contra ignis, viridique torus de fronde, dapeſque;
Vinaque, & æquoreos inter cum conjuge Divos
Æacides: pulſatque chelyn poſt pocula Chiron.
Parte alia Pholoe, multoque inſanus Iaccho
Rhœtus, & Atracia ſubitæ de virgine pugnæ:
Crateres menſæque volant, aræque Deorum,
Poculaque, inſignis veterum labor. optimus haſta
Hic Peleus, hic enſe furens agnoſcitur Æſon.
Fert gravis invito victorem Neſtora tergo
Monychus: ardenti peragit Clanis Actora quercu:
Nigro Neſſus equo fugit: accliniſque tapeti
In mediis vacuo condit caput Hippaſus auro.
Hæc quanquam miranda viris ſtupet Æſone natus;
Et ſecum: Heu miſeros noſtrûm natoſque patreſque;
Haccine nos animæ faciles rate nubila contra
Mittimur? in ſolum nunc ſæviet Æſona pontus?
Non juvenem in caſus eademque pericula Acaſtum
Abripiam? inviſæ Pelias freta tuta carinæ
Optet, & exoret noſtris cum matribus undas.
Talia contanti lævum Jovis armiger æthra
Advenit: & validis fixam erigit unguibus agnam.
At procul e ſtabulis trepidi clamore ſequuntur
Paſtores, fremituſque canum: citus occupat auras
Raptor; & Ægæi ſuper effugit alta profundi.
Accipit augurium Æſonides, lætuſque ſuperbi
Tecta petit Peliæ. prior huic tum regia proles
Advolat, amplexus fraternaque pectora jungens:
Ductor ait: Non degeneres, ut reris, Acaſte,
Venimus ad queſtus: ſocium te jungere cœptis
Eſt animus. neque enim Telamon, aut Canthus & Idas,

Tyndariuſque puer mihi vellere dignior Helles.
O quantum terræ, quantum cognoſcere cœli
Permiſſum eſt! pelagus quantos aperimus in uſus!
Nunc forſan grave reris opus: ſed læta recurret
Cum ratis, & caram cum jam mihi reddet Iolcon;
Quis pudor heu noſtros tibi tunc audire labores!
Quas referam viſas tua per ſuſpiria gentes!
Nec paſſus rex plura virum. Sat multa parato
In quæcunque vocas; nec nos, ait, optime, ſegnes
Credideris; patriiſve magis confidere regnis,
Quam tibi; ſi primos, duce te, virtutis honores
Carpere, fraternæ ſi des accreſcere famæ.
Quin ego, ne qua metu nimio me cura parentis
Impediat, fallam ignarum; ſubituſque paratis
Tunc adero, primas linquet cum puppis arenas.
Dixerat. ille animos promiſſaque talia lætus
Accipit; & greſſus avidos ad litora vertit.
At ducis imperiis Minyæ monituque frequentes
Puppim humeris ſubeunt; & tento poplite proni
Decurrunt, intrantque fretum. non clamor anhelis
Nauticus, aut blandus teſtudine defuit Orpheus.
Tum læti ſtatuunt aras. tibi, rector aquarum,
Summus honor: tibi cæruleis in litore vittis
Et Zephyris Glaucoque bovem, Tethidique juvencam
Dejicit Ancæus. non illo certior alter
Pinguia letifera perfringere colla bipenni.
Ipſe ter æquoreo libans carcheſia patri
Sic ait Æſonides: O qui ſpumantia nutu
Regna quatis, terraſque ſalo complecteris omnes,
Da veniam. ſcio me cunctis e gentibus unum

Illicitas tentare vias, hięmemque mereri:
Sed non ſponte feror: nec nunc mihi jungere montes
Mens tumet, aut ſummo depoſcere fulmen Olympo;
Ne Peliæ te vota trahant; ille aſpera juſſa
Repperit, & Colchos in me luctumque meorum.
Illum ego. tu tantum non indignantibus undis
Hoc caput accipias, & preſſam regibus alnum.
Sic fatus, pingui cumulat libamine flammam.
Protulit ut crinem denſis luctatus in extis
Ignis; & aſcendit ſalientia viſcera tauri;
Ecce ſacer, totuſque Dei, per litora Mopſus
Immanis viſu, vittamque comamque per auras
Surgentem lauruſque rotat: vox reddita tandem;
Vox horrenda viris: tum facta ſilentia vati:
Heu quænam aſpicio! noſtris modò conſcius auſis
Æquoreos vocat ecce Deos Neptunus, & ingens
Concilium: fremere, & legem defendere cuncti
Hortantur. ſic amplexu, ſic pectora fratris,
Juno, tene: tuque o, puppim ne deſere, Pallas:
Nunc, patrui nunc flecte minas. ceſſere, ratemque
Accepere mari. per quot diſcrimina rerum
Expedior! ſubita cur pulcher arundine crines
Velat Hylas? unde urna humeris? niveoſque per artus
Cæruleæ veſtes? unde hæc tibi vulnera, Pollux?
Quantus, io, tumidis taurorum e naribus ignis!
Tollunt ſe galeæ, ſulciſque ex omnibus haſtæ,
Et jam jamque humeri. quem circum vellera Martem
Aſpicio? quænam aligeris ſecat anguibus auras
Cæde madens? quos enſe ferit? miſer eripe parvos
Æſonide: cerno en thalamos ardere jugales.

Jam dudum vates Minyas ambage ducemque
Terrificat: ſed enim contra Phœbeius Idmon,
Non pallore viris, non ullo horrore comarum
Terribilis, plenus fatis Phœboque quieto,
(Cui genitor tribuit monitu prænoſcere Divûm
Omina, ſeu flammas, ſeu lubrica comminus exta;
Seu plenum certis interroget aera pennis)
Sic ſociis Mopſoque canit: Quantum augur Apollo,
Flammaque prima docet; præduri plena laboris
Cerno equidem; patiens ſed quæ ratis omnia vincat.
Ingentes durate animæ, dulceſque parentum
Tendite ad amplexus. lacrimæ cecidere canenti,
Quod ſibi jam cluſos invenit in ignibus Argos.
Vix ea fatus erat; jungit cum talia ductor
Æſonius: Superûm quando conſulta videtis,
O ſocii, quandoque datur ſpes maxima cœptis;
Vos quoque nunc vires animoſque afferte paternos.
Non mihi Theſſalici pietas culpanda tyranni,
Suſpective doli: Deus hæc, Deus omine dextro
Imperat. ipſe ſuo voluit commercia mundo
Juppiter & tantos hominum miſcere labores.
Ite, viri, mecum; dubiiſque evincite rebus,
Quæ meminiſſe juvet, noſtriſque nepotibus inſtent.
Hanc vero, o ſocii, venientem in litore læti
Dulcibus alloquiis ludoque educite noctem.
Paretur. molli juvenes funduntur in alga,
Conſpicuuſque toris Tirynthius. exta miniſtri
Rapta ſimul veribus, Cereremque dedere caniſtris.
Jamque aderat ſummo decurrens vertice Chiron,
Clamantemque patri procul oſtentabat Achillem.

Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, & ingenti tendentem brachia paſſu;
Aſſiluit, caraque diu cervice pependit.
Illum nec valido ſpumantia pocula Baccho
Sollicitant: veteri nec conſpicienda metallo
Signa tenent. ſtupet in ducibus: magnumque ſonantes
Haurit, & Herculeo fert comminus ora leoni.
Lætus at impliciti Peleus rapit oſcula nati,
Suſpicienſque polum, Placito ſi currere fluctu
Pelea vultis, ait, ventoſque optare ferentes;
Hoc, Superi, ſervate caput. tu cetera, Chiron;
Da mihi. te parvus lituos & bella loquentem
Miretur: ſub te puerilia tela magiſtro
Venator ferat, & noſtram feſtinet ad haſtam.
Omnibus inde magis calor additus: ire per altum
Magna mente volunt. Phrixi promittitur abſens
Vellus, & auratis Argo reditura corymbis.
Sol ruit, & totum Minyis lætantibus undæ
Deduxere diem. ſparguntur litore curvo
Lumina, nondum ullis terras monſtrantia nautis.
Thracius hic noctem dulci teſtudine vates
Extrahit; ut ſteterit redimitus tempora vittis
Phrixus; & injuſtas contectus nubibus aras
Fugerit, Inoo linquens Athamanta Learcho;
Aureus ut juvenem miſerantibus intulit undis
Vector, & adſtrictis ut ſedit cornibus Helle.
Septem Aurora vias, totidemque peregerat umbras
Luna polo; dirimique procul non æquore viſa
Cœperat a gemina diſcedere Seſtos Abydo.
Hic ſoror Æoliden, ævum manſura per omne,

Deſerit: heu ſævæ nequidquam erepta novercæ!
Illa quidem feſſis longe petit humida palmis
Vellera, ſed bibulas urgenti pondere veſtes
Unda trahit, levique manus labuntur ab auro.
Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus æſtu
Reſpiceres miſeræ clamantia virginis ora,
Extremaſque manus, ſparſoſque per æquora crines?
Jamque mero ludoque modus; poſitique quietis
Conticuere toris: ſolus quibus ordine fuſis
Impatiens ſomni ductor manet. hunc gravis Æſon,
Et pariter vigil Alcimede ſpectantque tenentque
Pleni oculos: illis placidi ſermonis Iaſon
Suggerit affatus, turbataque pectora mulcet.
Mox, ubi victa gravi ceciderunt lumina ſomno,
Viſa coronatæ fulgens tutela carinæ
Vocibus his inſtare duci: Dodonida quercum,
Chaoniique vides famulam Jovis. æquora tecum
Ingredior. nec fatidicis avellere ſilvis
Me niſi promiſſo potuit Saturnia cœlo.
Tempus adeſt. age, rumpe moras: dumque æquore toto
Currimus, incertus ſi nubila duxerit æther;
Jam nunc mitte metus, fidens ſuperiſque mihique.
Dixerat. ille pavens, læto quamquam omine Divûm,
Proſiluit ſtratis. Minyas ſimul obtulit omnes
Alma novo criſpans pelagus Tithonia Phœbo.
Diſcurrunt tranſtris. hi celſo cornua malo
Expediunt: alii tonſas in marmore ſummo
Prætentant. prora funem legit Argus ab alta.
Increſcunt matrum gemitus, & fortia languent
Corda patrum. longis flentes amplexibus hærent.

Vox tamen Alcimedes planctus ſuper eminet omnes:
Femineis tantum illa furens ululatibus obſtat;
Obruat Idæam quantum tuba Martia buxum.
Fatur & hæc: Nate, indignos aditure labores,
Dividimur: nec ad hos animum componere caſus
Ante datum; ſed bella tibi terraſque timebam.
Vota aliis facienda Deis. ſi fata reducunt
Te mihi, ſi trepidis placabile matribus æquor;
Poſſum equidem lucemque pati, longumque timorem.
Sin aliud Fortuna parat; miſerere parentum,
Mors bona, dum metus eſt, nec adhuc dolor. hei mihi! Colchos
Unde ego, & advecti timuiſſem vellera Phrixi?
Quos jam mente dies, quam ſæva inſomnia curis
Proſpicio! quoties raucos ad litoris ictus
Deficiam, Scythicum metuens pontumque polumque;
Nec de te credam noſtris ingrata ſerenis!
Da, precor, amplexus, hæſuraque verba relinque
Auribus, & dulci jam nunc preme lumina dextra.
Talibus Alcimede mœret. ſed fortior Æſon
Attollens dictis animos: O ſi mihi ſanguis,
Quantus erat, cum ſignifero cratere minantem
Non leviore Pholum manus hæc compeſcuit auro!
Primus in æratis poſuiſſem puppibus arma,
Concuſſoque ratem gauderem tollere remo.
Sed patriæ valuere preces, auditaque magnis
Vota Deis. video en noſtro tot in æquore reges,
Teque ducem: tales, tales ego ducere ſuetus,
Atque ſequi: nunc ille dies, (det Juppiter oro)
Ille ſuper, quo te Scythici regiſque mariſque
Victorem, atque humeros ardentem vellere rapto

Accipiam, cedantque tuæ mea facta juventæ.
Sic ait. ille ſuo collapſam pectore matrem
Suſtinuit, magnaque ſenem cervice recepit.
Et jam finis erat: Zephyrumque ratemque morantes
Solverat amplexus triſti tuba tertia ſigno.
Dant remo ſua quiſque viri, dant nomina tranſtris.
Hinc lævum Telamon pelagus tenet: altior inde
Occupat Alcides aliud mare: cetera pubes
Dividitur. celer Aſterion, quem matre cadentem
Criſtatus gemino fovit pater amne Cometes,
Segnior Apidani vires ubi ſentit Enipeus:
Nititur hinc Talaus, fratriſque Leodocus urget
Remo terga ſui, quos nobile contulit Argos.
Hinc quoque miſſus adeſt, quamvis arcentibus Idmon
Alitibus; ſed turpe viro timuiſſe futura.
Hic & Naubolides tortas conſurgit in undas
Iphitus: hic patrium frangit Neptunius æquor,
Qui tenet undiſonam Pſamathen, ſemperque patentem
Tænaron Euphemus: mollique a litore Pellæ
Deucalion certus jaculis, & comminus enſe
Nobilis Amphion; pariter quos edidit Hypſo,
Nec potuit ſimiles voluitve ediſcere vultus.
Tum valida Clymenus percuſſo pectore tonſa,
Frater & Iphiclus puppim trahit: & face ſæva
In tua mox Danaos acturus ſaxa, Caphareu,
Nauplius: & tortum non ab Jove fulmen Oileus
Qui gemet, Euboïcas nato ſtridente per undas:
Quique Erymanthei ſudantem pondere monſtri
Amphitryoniaden Tegeæo limine Cepheus
Juvit; & Amphidamas. at frater plenior annis

Maluit Ancæo vellus contingere Phrixi.
Tectus & Eurytion ſervato colla capillo,
Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.
Te quoque Theſſalicæ, Neſtor, rapit in freta puppis
Fama; Mycenæis olim qui candida velis
Æquora, nec ſtantes mirabere mille magiſtros.
Hic vates, Phœbique fides non vana parentis;
Mopſus; puniceo cui circumfuſa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem
Caſſis, & in ſummo laurus Peneïa cono.
Quin etiam Herculeo conſurgit ab ordine Tydeus,
Nelideſque Periclymenus: quem parva Methone
Et levis Elis equis, & fluctibus obvius Aulon,
Cæſtibus adverſos viderunt frangere vultus.
Tu quoque Phrixeos remo, Pæantie, Colchos,
Bis Lemnon viſure petis: nunc cuſpide patris
Inclitus, Herculeas olim moture ſagittas.
Proximus hinc Butes Actæis dives ab oris:
Innumeras nam claudit apes, longaque ſuperbus
Fuſcat nube diem; dum plenas nectare cellas
Pandit, & in dulcem reges dimittit Hymetton.
Inſequeris, caſuſque tuos expreſſa, Phalere,
Arma geris: vacua nam lapſus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis:
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.
Tum cælata metus alios gerit arma Eribotes.
Nec Peleus fretus ſoceris & conjuge Diva
Defuit. at prora ſplendet tua cuſpis ab alta,
Æacide: tantum hæc aliis excelſior haſtis,
Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.

Linquit & Actorides natum Chironis in antro;
Ut ſocius caro pariter meditetur Achilli
Fila lyræ: pariterque leves puer incitet haſtas:
Diſcat eques placidi conſcendere terga magiſtri.
Et, quem fama genus non eſt decepta Lyæi,
Phleïas immiſſus patrios de vertice crines.
Nec timet Ancæum genitrix committere ponto;
Plena tulit quem rege maris. ſecurus in æquor
Haud minus Erginus, proles Neptunia, fertur:
Qui maris inſidias, claræ qui ſidera noctis
Norit, & e clauſis quem deſtinet Æolus antris;
Non metuat cui regna ratis, cui tradere cœlum
Aſſidua Tiphys vultum laſſatus ab Arcto.
Taurea vulnifico portat cælataque plumbo
Terga Lacon; ſaltem in vacuos ut brachia ventos
Spargat; & Œbalium Pegaſeïa puppis alumnum
Spectet, ſecuro celebrantem litora ludo.
Oraque Theſſalico melior contundere freno,
Vectorem pavidæ Caſtor dum quæreret Helles,
Paſſus Amyclæa pingueſcere Cyllaron herba.
Illis Tænario pariter tremit ignea fuco
Purpura; quod gemina mater ſpectabile tela
Duxit opus: bis Taygeton ſilvaſque comantes
Struxerat: Eurotan molli bis fuderat auro.
Quemque ſuus ſonipes niveo de ſtamine portat,
Et volat amborum patrius de pectore cycnus.
At tibi collectas ſolvit jam fibula veſtes,
Oſtenditque humeros fortes, ſpatiumque ſuperbi
Pectoris, Herculeis æquum, Meleagre, lacertis.
Hinc numeroſa phalanx, proles Cyllenia: certus

Æthalides ſubitas nervo redeunte ſagittas
Cogere : tu medios gladio bonus ire per hoſtes,
Euryte: nec patrio Minyis ignobilis uſu ,
Nuntia verba ducis populis qui reddit, Echion.
Sed non , Iphi, tuis Argo reditura lacertis ;
Heu celerem Scythica te mœſta relinquet arena,
Ceſſantemque tuo lugebit in ordine remum.
Te quoque dant campi tanto paſtore Pheræi
Felices , Admete : tuis nam pendit in arvis
Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.
Ah quoties famulo notis ſoror obvia ſilvis
Flevit, ubi Oſſææ captaret frigora quercus,
Perderet & pingui miſeros Bœbeide crines!
Inſurgit tranſtris, & remo Nerea verſat
Canthus, in Ææo volvet quem barbara cuſpis
Pulvere : at interea clari decus adjacet orbis,
Quem genitor geſtarat Abas: ſecat aurea fluctu
Tegmina Chalcidicas fugiens Euripus arenas:
Celſaque ſemiferûm contorquens frena luporum
Surgis ab oſtrifero medius, Neptune, Geræſto.
Et tibi Palladia pinu, Polypheme, revecto
Ante urbem ardentis reſtat deprendere patris
Relliquias: multum famulis pia juſta moratis,
Si venias. breviore petit jam cærula remo,
Occupat & longe ſua tranſtra noviſſimus Idas.
At frater magnos Lynceus ſervatur in uſus;
Quem tulit Arene: poſſit qui rumpere terras,
Et Styga tranſmiſſo tacitam deprendere viſu.
Fluctibus e mediis terras dabit ille magiſtro,
Et dabit aſtra rati; cumque æthera Juppiter umbra

Perdiderit, ſolus tranſibit nubila Lynceus.
Quin & Cecropiæ proles vacat Orithyiæ,
Temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.
Nec vero Odriſius tranſtris impenditur Orpheus,
Aut pontum remo ſubigit: ſed carmine tonſas
Ire docet, ſummo paſſim ne gurgite pugnent.
Donat & Iphiclo pelagus juvenumque labores
Æſonides; feſſum Phylace quem miſerat ævo,
Non jam operum in partem; monitus ſed tradat ut acres,
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.
Arge, tuæ tibi cura ratis: te mœnia doctum
Theſpia Palladio dant munere: ſors tibi, ne qua
Parte trahat tacitum puppis mare; ſiſſaque fluctu
Vel pice vel molli conducere vulnera cera.
Pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab aſtro
Hagniades; felix ſtellis qui ſegnibus uſum,
Et dedit æquoreos cœlo duce tendere curſus.
Ecce per obliqui rapidum compendia montis
Ductor avens lætuſque dolis agnoſcit Acaſtum,
Horrentem jaculis, & parmæ luce coruſcum.
Ille ut ſe mediæ per ſcuta viroſque carinæ
Intulit; ardenti Æſonides retinacula ferro
Abſcidit. haud aliter ſaltus vaſtataque pernix
Venator cum luſtra fugit; dominoque timentem
Urget equum; teneras compreſſus pectore tigres,
Quas aſtu rapuit pavido: dum ſæva relictis
Mater in adverſo catulis venatur Amano.
Ut pariter propulſa ratis; ſtant litore matres:
Claraque vela oculis, percuſſaque ſole ſequuntur
Scuta virûm: donec jam celſior arbore pontus,

Immenſuſque ratem ſpectantibus abſtulit aer.
Siderea tunc arce pater pulcherrima Grajûm
Cœpta tuens, tantamque operis conſurgere molem;
Lætatur: patrii neque enim probat otia regni.
Una omnes gaudent ſuperi, venturaque mundo
Tempora, quæque vias cernunt ſibi creſcere Parcæ.
Sed non & Scythici genitor diſcrimine nati
Intrepidus, tales fundit Sol pectore voces:
Summe ſator, cui noſtra dies, volventibus annis,
Tot peragit reficitque vices: tuane iſta voluntas?
Grajaque nunc undis duce te, nutuque ſecundo,
It ratis? an meritos fas & mihi rumpere queſtus?
Hoc metuens, & ne qua foret manus invida nato,
Non mediæ telluris opes, non improba legi
Divitis arva plagæ: (teneant uberrima Teucer,
Et Lybis, & veſtri Pelopis domus) horrida ſævo
Quæ premis arva gelu, ſtrictoſque inſedimus amnes.
Cederet his etiam; & ſeſe ſine honore referret
Ulterius: ſed nube rigens ac neſcia rerum
Stat ſuper, & noſtros jam zona reverberat ignes.
Quid regio immanis, quid barbarus amnibus ullis
Phaſis, & averſis proles mea gentibus obſtat?
Quid Minyæ meruere queri? num vellere Grajo
Vi potitur? profugo quin agmina jungere Phrixo
Abnuit; Inoas ultor nec venit ad aras:
Imperii ſed parte virum natæque moratus
Conjugio, videt e Graja nunc ſtirpe nepotes:
Et generos vocat, & junctas ſibi ſanguine terras.
Flecte ratem motuſque, pater; nec vulnere noſtro
Æquora pande viris: veteris ſat conſcia luctus

Silva Padi, & viſo flentes genitore ſorores.
Affremit his, quaſſatque caput, qui vellera dono
Bellipotens ſibi fixa videt: tentataque contra
Pallas, & amborum gemuit Saturnia queſtus.
Tum genitor: Vetera hæc nobis & condita pergunt
Ordine cuncta ſuo, rerumque a principe curſu
Fixa manent: neque enim terris tum ſanguis in ullis
Noſter erat, cum fata darem; juſtique facultas
Hic mihi, cum varios ſtruerem per ſecula reges.
Atque ego curarum repetam decreta mearum;
Jam pridem regio, quæ virginis æquor ad Helles,
Et Tanain tenus immenſo deſcendit ab Euro,
Undat equis, floretque viris: nec tollere contra
Ulla pares animos, nomenque capeſcere bellis
Auſa manus: ſic fata, locos ſic ipſe fovebam.
Accelerat ſed ſumma dies, Aſiamque labantem
Linquimus, & poſcunt jam me ſua tempora Graji;
Inde meæ quercus, tripodeſque animæque parentum
Hanc pelago miſere manum: via facta per undas,
Perque hiemes, Bellona, tibi: nec vellera tantum
Indignanda: manet proprior de virgine rapta
Ille dolor: (ſed nulla magis ſententia menti
Fixa meæ.) veniet Phrygia nam paſtor ab Ida,
Qui gemitus, iraſque pares, & mutua Grajis
Dona ferat. qua claſſe dehinc effuſa procorum
Bella! quot ad Trojam flentes hiberna Mycenas!
Quot proceres natoſque Deûm, quæ robora cernes
Oppetere, & magnis Aſiam concedere fatis!
Hinc Danaûm de fine ſedet: genteſque fovebo
Mox alias. pateant montes, ſilvæque, lacuſque,

Cunctaque clauſtra maris; ſpes & metus omnibus eſto
Arbiter. ipſe locos, terrenaque ſumma movendo
Experiar, quænam populis longiſſima cunctis
Regna velim, linquamque datas ubi certus habenas.
Tunc oculos Ægæa refert ad cærula, robur
Herculeum Ledæque tuens genus; atque ita fatur:
Tendite in aſtra, viri: me primum regia mundo
Iapeti poſt bella trucis, Phlegræque labores
Impoſuit: durum vobis iter & grave cœli
Inſtitui. ſic ecce meus, ſic orbe peracto
Liber, & expertus terras remeavit Apollo.
Dixit, & ingenti flammantem nubila ſulco
Direxit per inane facem: quæ puppe propinqua
In bifidum diſceſſit iter, fratreſque petivit
Tyndarios: placida & mediis in frontibus hæſit
Protinus amborum; lumenque innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim implorabile nautis.
Interea medio ſævus permiſſa profundo
Carbaſa Pangæa Boreas ſpeculatus ab arce,
Continuo Æoliam Tyrrhenaque tendit ad antra
Concitus. omne Dei rapidis nemus ingemit alis:
Strata Ceres: motoque niger ſub præpete pontus.
Æquore Trinacrio, refugique a parte Pelori
Stat rupes horrenda fretis: quot in æthera ſurgit
Molibus, infernas totiens demiſſa ſub undas.
Nec ſcopulos aut antra minor juxta altera tellus
Cernitur: illam Acamas habitat, nuduſque Pyracmon.
Has nimbi ventique domos, & naufraga ſervat
Tempeſtas: hinc in terras latumque profundum
Eſt iter: hinc olim ſoliti miſcere polumque

Infelixque fretum: neque enim tunc Æolus illis
Rector erat, Lybia cum rumperet advena Calpen
Oceanus, cum flens Siculos Œnotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undæ:
Intonuit donec pavidis ex æthere ventis
Omnipotens, regemque dedit, quem juſſa vereri
Sæva cohors: in monte chalybs iterataque muris
Saxa domant Euros. cum jam prohibere frementum
Ora nequit, rex tunc aditus & clauſtra refringit
Ipſe volens, placatque data fera murmura porta.
Nuntius hunc ſolio Boreas proturbat ab alto:
Pangæa quod ab arce nefas, ait, Æole, vidi!
Graja novam ferro molem commenta juventus
Pergit, & ingenti gaudens domat æquora velo:
Nec mihi libertas imis freta tollere arenis.
Qualis eram, nondum vinclis & carcere clauſus!
Hinc animi, ſtructæque viris fiducia puppis,
Quod Borean ſub rege vident. da mergere Grajos,
Inſanamque ratem: nil me mea pignora tangunt,
Tantum hominum compeſce minas, dum litora juxta
Theſſala, nec dum aliæ viderunt carbaſa terræ.
Dixerat. at cuncti fremere intus & æquora venti
Poſcere. tum valido contortam turbine portam
Impulit Hippotades. fundunt ſe carcere læti
Thraces equi: Zephyruſque, & nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus; crinemque procellis
Hiſpidus, & multa flavus caput Eurus arena,
Induxere hiemem; raucoque ad litora tractu
Unanimi freta curva ferunt: nec ſola tridentis

Regna movent: vaſto pariter ruit igneus æther
Cum tonitru, piceoque premit nox omnia cœlo.
Excuſſi manibus remi; converſaque frontem
Puppis in obliquum reſonos latere accipit ictus:
Vela ſuper tremulum ſubitus volitantia malum
Turbo rapit. qui tum Minyis trepidantibus horror;
Cum picei fulſere poli, pavidamque coruſcæ
Ante ratem cecidere faces, antennaque lævo
Prona dehiſcentem cornu cum ſuſtulit undam!
Non hiemem, miſſoſque putant conſurgere ventos
Ignari, ſed tale fretum. tum murmure mœſto:
Hoc erat, illicitas temerare rudentibus undas
Quod noſtri timuere patres! vix litore puppim
Solvimus; en quanto fremitu ſe ſuſtulit Ægan!
Hoccine Cyaneæ concurrunt æquore cautes?
Triſtius an miſeris ſupereſt mare? linquite, terræ,
Spem pelagi, ſacroſque iterum ſeponite fluctus.
Hæc iterant, ſegni flentes occumbere leto.
Magnanimus ſpectat pharetras & inutile robur
Amphitryoniades: miſcent ſuprema paventes
Verba alii, junguntque manus, atque ora fatigant:
Aſpectu tota in miſero cum protinus alnus
Solvitur, & vaſto puppis mare ſorbet hiatu.
Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus,
Nunc ſtridens Zephyris aufert Notus; undique fervent
Æquora: cum ſubitus trifida Neptunus in haſta
Cæruleum fundo caput extulit. Hanc mihi Pallas,
Et ſoror hanc, inquit, mulcens mea pectora fletu
Abſtulerint: veniant Phariæ Tyriæque carinæ,

Permiſſumque putent. quoties mox rapta videbo
Vela Notis, plenaſque malis clamoribus undas!
Non meus Orion, aut ſævus Pliade Taurus
Mortis cauſa novæ. miſeris tu gentibus, Argo,
Fata paras: nec jam merito tibi, Typhi, quietum
Ulla parens volet Elyſium maneſque piorum.
Hæc ait, & pontum patet ac turbata reponit
Litora, depellitque Notos: quos cærulus Horror
Et madido gravis unda ſinu, longeque ſecutus
Imber, ad Æoliæ tendunt ſimul æquora portæ.
Emicuit reſerata dies; cœlumque reſolvit
Arcus; & in ſummos redierunt nubila montes.
Jam placidis ratis exſtat aquis, quam gurgite ab imo
Et Tethis, & magnis Nereus ſocer erigit ulnis.
Ergo humeros ductor ſacro velatur amictu,
Æſoniamque capit pateram: quam munere gaudens
Liquerat hoſpitio, pharetraſque rependerat auro
Salmoneus: nondum ille furens; cum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Jovis, contraque ruentem
Aut Athon, aut Rhodopen; mœſtæ nemora ardua Piſæ
Æmulus & miſeros ipſe ureret Elidis agros.
Hac pelago libat latices, & talibus infit:
Dî, quibus undarum tempeſtatiſque ſonoræ
Imperium, & magno penitus par regia cœlo:
Tuque, fretum Divoſque pater ſortite biformes:
Seu caſus nox iſta fuit; ſeu volvitur axis,
Ut ſuperûm ſic ſtaret opus; tollique viciſſim
Pontus habet; ſeu te ſubitæ nova puppis imago,
Armorumque hominumque truces conſurgere in iras

Impulit: hæc luerim fatis; & tua numina, rector;
Jam fuerint meliora mihi. da reddere terris
Has animas, patriæque amplecti limine portæ.
Tum quocunque loco meritas tibi plurimus aras
Paſcet honos, ubicunque rotis horrendus equiſve
Stas, pater, atque ingens utrinque fluentia Triton
Frena tenet; tantus noſtras condere per urbes.
Dixerat hæc. oritur clamor, dextræque ſequentum
Verba ducis. ſic cum ſtabulis & meſſibus ingens
Ira Deûm, & Calabri populator Sirius arvi
Incubuit; coit agreſtum manus inſcia priſcum
In nemus, & miſeris dictat pia vota ſacerdos.
Ecce autem molli zephyros deſcendere lapſu
Aſpiciunt; volat immiſſis cava pinus habenis,
Infinditque ſalum, & ſpumas vomit ære tridenti:
Tiphys agit, tacitique ſedent ad juſſa miniſtri.
Qualiter ad ſummi ſolium Jovis omnia circum
Prona, parata Deo, ventique, imbreſque, niveſque;
Fulguraque & tonitrus, & adhuc in fontibus amnes.
At ſubitus curaque ducem metus acrior omni,
Menſque mali præſaga quatit; quod regis adortus
Progeniem, raptoque dolis crudelis Acaſto,
Cetera nuda neci, medioque in crimine patrem
Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis,
Ipſe procul nunc tuta tenens? ruat omnis in illos
Quippe furor. nec vana pavet, trepidatque futuris.
Sævit atrox Pelias, inimicaque vertice ab alto
Vela videt: nec qua ſe ardens effundere poſſit.
Nil animi, nil regna juvant. fremit objice ponti

Clauſa cohors, teliſque ſalum facibuſque coruſcat.
Haud ſecus, æriſona volucer cum Dædalus ora
Proſiluit, juxtaque comes brevioribus alis;
Nube nova linquente domos, Minoïa fruſtra
Infremuit manus, & viſu laſſatur inani
Omnis eques, pleniſque redit Gortyna pharetris.
Quin etiam in thalamis, primoque in limine Acaſti
Fuſus humi, juvenis greſſus & inania ſigna
Ore premit, ſparſiſque legens veſtigia canis,
Te quoque jam mœſti forſan genitoris imago
Nate, ait, & luctus ſubeunt ſuſpiria noſtri.
Jamque dolos, circumque trucis diſcrimina leti
Mille vides. qua te infelix, quibus inſequar oris?
Non Scythicas ferus ille domos, nec ad oſtia Ponti
Tendit iter; falſæ ſed captum laudis amore
Te, puer, in noſtræ durus tormenta ſenectæ
Nunc lacerat. celſis an ſi freta puppibus eſſent
Pervia, non ultro juvenes claſſemque dediſſem?
O domus, o freti nequidquam prole penates!
Dixit, & extemplo furiis iraque minaci
Terribilis, Sunt hic etiam tua vulnera, prædo;
Sunt lacrimæ, caruſque parens. ſimul ædibus altis
Itque reditque fremens, rerumque aſperrima verſat.
Biſtonas ad meritos cum cornua ſæva Thyoneus
Torſit, & infelix jam mille furoribus Hæmus,
Jam Rhodopes nemora alta gemunt, talem incita longis
Porticibus conjuxque fugit natique Lycurgum.
Tartareo tum ſacra Jovi, Stygiiſque ferebat
Manibus Alcimede, tanto ſuper anxia nato;

Si quid ab excitis meliùs prænoſceret umbris.
Ipſum etiam, çuriſque parem, taleſque prementem
Corde metus ducit, facilem tamen, Æſona conjux.
In ſcrobibus cruor, & largus Phlegethontis operti
Stagnat honos, ſævoque vocat grandæva tumultu
Theſſalis exanimes atavos, magnæque nepotem
Pleïones. & jam tenues ad carmina vultus
Extulerat, mœſtoſque tuens natumque nurumque,
Talia libato pandebat ſanguine Cretheus:
Mitte metus, volat ille mari: quantumque propinquat,
Jam magis atque magis variis ſtupet Æa Deorum
Prodigiis, quatiuntque truces oracula Colchos.
Heu quibus ingreditur fatis! qui gentibus horror
Pergit! mox Scythiæ ſpoliis nuribuſque ſuperbus
Adveniet. cuperem ipſe graves tum rumpere terras.
Sed tibi triſte nefas, fraternaque turbidus arma
Rex parat, & ſævos irarum concipit ignes.
Quin rapis hanc animam, & famulos citus effugis artus?
I, meus es, jam te in lucos pia turba ſilentum,
Secretiſque ciet volitans pater Æolus antris.
Horruit interea famulum clamore ſupremo
Mœſta domus: regemque fragor per mœnia differt;
Mille ciere manus, & jam dare juſſa vocatis.
Flagrantes aras, veſtemque, nemuſque ſacerdos
Præcipitat, ſubitiſque pavens circumſpicit Æſon,
Quid moveat. quam multa leo cunctatus in arta
Mole virûm, rictuque genas & lumina preſſit;
Sic curæ ſubiere ducem, ferrumne capeſſat
Imbelle, atque ævi ſenior geſtamina primi:

An patres regnique acuat mutabile vulgus.
Contra effuſa manus, hærenſque in pectore conjux,
Me quoque, ait, caſus, comitem, quicunque propinquat,
Accipies: nec fata traham, natumque videbo
Te ſine ſat cœli patiens, cum prima per altum
Vela dedit, potui quæ tantum ferre dolorem.
Talia per lacrimas. & jam circumſpicit Æſon,
Præveniat quo fine minas, quo fata capeſſat
Digna fatis. magnos obitus natumque domumque;
Et genus Æolium, pugnataque poſcere bella.
Eſt etiam ante oculos ævi rudis altera proles,
Ingentes animos & fortia diſcere facta
Quem velit, atque olim leti meminiſſe paterni.
Ergo ſacra novat. veteris ſub nocte cupreſſi
Sordidus, & multa pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc: cui cæruleæ per cornua vittæ,
Et taxi frons hirta comis; ipſe æger, anhelans;
Impatienſque loci, viſaque exterritus umbra.
Hunc ſibi præcipuum, gentis de more nefandæ;
Theſſalis in ſeros Ditis ſervaverat uſus.
Tergeminam tum placat heram, Stygiaſque ſupremo
Obſecrat igne domos, jam jam exorabile retro
Carmen agens. neque enim ante leves niger avehit umbras
Portitor, & cunctæ primis ſtant faucibus Orci.
Illum ubi terrifici ſupereſſe in tempore ſacri
Conſpexit, ſtatuit leto, ſupremaque fatur,
Ipſe manu tangens damnati cornua tauri:
Vos, quibus imperium Jovis, & non ſegne peractum
Lucis iter, mihi conciliis, mihi cognita bellis

Nomina, magnorum fama ſacrata nepotum:
Tuque, excite parens umbris, ut noſtra videres
Funera, & oblitos ſuperûm paterere dolores;
Da placidæ mihi ſedis iter; meque hoſtia veſtris
Conciliet præmiſſa locis. tu nuntia fontum
Virgo Jovi, terras oculis quæ proſpicis æquis;
Ultriceſque Deæ, Faſque, & grandæva Furorum
Pœna parens, meritis regis ſuccedite tectis,
Et ſævas inferte faces. ſacer effera raptet
Corda pavor. nec ſola mei gravia aſſore nati
Arma ratemque putet: claſſeſque, & Pontica ſigna;
Atque indignatos temerato litore reges
Mente agitet; ſemperque metu decurrat ad undas,
Arma ciens; mors ſera viam tentataque claudat
Effugia, & noſtras nequeat præcurrere diras:
Sed reduces jam jamque viros, auroque coruſcum
Cernat iter. ſtabo inſultans, & ovantia contra
Ora manuſque feram. tum, vobis ſi quod inauſum
Arcanumque nefas, & adhuc incognita leti
Sors ſupereſt, date fallaci pudibunda ſenectæ
Exitia, indecoreſque obitus. non Marte, nec armis,
Aut nati precor ille mei dignatus ut unquam
Enſe cadat. quin fida manus, quin cara ſuorum
Diripiat laceretque ſenem; nec membra ſepulcro
Contegat. hæc noſter de rege piacula ſanguis
Sumat, & heu cunctæ, quas miſit in æquora, gentes.
Adſtitit, & nigro fumantia pocula tabo
Contigit ipſa gravi Furiarum maxima dextra.
Illi avide exceptum pateris hauſere cruorem.

Fit fragor: irrumpunt ſonitu, qui ſæva ferebant
Imperia, & ſtrictos juſſis regalibus enſes.
In media jam morte ſenes, ſuffectaque leto
Lumina, & undanti revomentes veſte cruorem
Conſpiciunt: primoque rudem ſub limine rerum
Te, puer, & viſa pallentem morte parentum,
Diripiunt, adduntque tuis. procul horruit Æſon
Excedens, memoremque tulit ſub nubibus umbram.
Cardine ſub noſtro rebuſque abſciſa ſupernis
Tartarei ſedet aula patris: non illa ruenti
Acceſſura polo, victam ſi ſolvere molem
Juppiter, & primæ velit omnia reddere maſſæ.
Ingenti jacet ore Chaos; quod pondere feſſam
Materiem, lapſumque queat conſumere mundum.
Hic geminæ æternum portæ: quarum altera, dura
Semper lege patens, populos regeſque receptat;
Aſt aliam tentare nefas, & tendere contra;
Rara & ſponte patet; ſi quando pectore ductor
Vulnera nota gerens; galeis præfixa rotiſque
Cui domus, aut ſtudium mortales pellere curas;
Culta fides, longe metus atque ignota cupido:
Seu venit in vittis, caſtaque in veſte ſacerdos.
Quos omnes lenis plantis, & lampada quaſſans,
Progenies Atlantis agit. lucet via late
Igne Dei: donec ſilvas & amœna piorum
Deveniant, campoſque, ubi Sol, totumque per annum
Durat aprica dies, thiaſique, chorique virorum,
Carminaque, & quorum populis jam nulla cupido.
Has pater in ſedes æternaque mœnia natum

Inducitque nurum. tum, porta quanta ſiniſtra
Pœna, docet, maneat Pelian; quo limine, monſtrat.
Mirantur tantos ſtrepitus, turbamque ruentem,
Et loca, & infernos almæ virtutis honores.

Digitized by Google

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER SECUNDUS.

LIBRI SECUNDI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Clarus ab Æolio ſpiramine liber Iaſon
Navigat. Hagniades trepidantia pectora firmat.
Ingratam Veneri puppis Vulcanida Lemnon
Tuta petit: generiſque dolo concepta virilis
Fata recenſentur. vetiti reparantur amores.
Excitat Alcides animos: reſidumque quietem
Indignam juvenum damnat. fit ad æquora curſus.
Ingemit Hypſipyle. felix Samothracia ſacris
Linquitur. Heſionem mediis Tirynthius undis
Liberat Alcides. ſolatur Iaſona Phrixi
Diva ſoror. ſocias conjungunt fœdere dextras
Cizycus, Argolicique duces ſub tecta recepti.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER II.

INTEREA ſcelerum luctuſque ignarus Iaſon
Alta ſecat. neque enim patrios cognoſcere caſus
Juno ſinit; mediis ardens ne flectat ab undis,
Ac temere in Pelian, & adhuc obſtantia regis
Fata ruat, placitoſque Deis ne deferat actus.
Jamque fretis ſummas æquatum Pelion ornos,
Templaque Tiſææ mergunt obliqua Dianæ.
Jam Sciathos ſubſedit aquis, jam longa receſſit
Sepias: attollit tondentes pabula Magnes
Campus equos: vidiſſe putant Dolopeïa buſta,
Intrantemque Amyron curvas quæſita per oras
Æquora; flumineo cujus redeuntia vento
Vela legunt. remis inſurgitur. inde ſalutant
Eurymenas. recipit velumque fretumque reverſus
Auſter: & in nubem, Minyis repetentibus altum,
Oſſa redit. metus ecce Deûm, damnataque bello

Pallene : circumque vident immania monſtra
Terrigenûm cœlo quondam adverſata gigantum ;
Quos ſcopulis trabibuſque parens miſerata jugiſque
Induit, & verſos exſtruxit in æthera montes.
Quiſque ſuas in rupe minas, pugnamque, metuſque
Servat adhuc : quatit ipſe hiemes, & torquet ab alto
Fulmina crebra pater : ſcopulis ſed maximus illis
Horror abeſt, Sicula preſſus tellure, Typhœus.
Hunc profugum, & ſacras revomentem pectore flammas,
Ut memorant, prenſum ipſe comis Neptunus in altum
Abſtulit, implicuitque vadis : totieſque cruenta
Mole reſurgentem, torquentemque anguibus undas
Sicanium dedit uſque fretum ; cumque urbibus Ætnam
Intulit, ora premens : trux ille ejectat adeſi
Fundamenta jugi ; pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, injectam feſſo dum pectore molem
Commovet experiens, gemituque reponit inani.
Jamque Hyperionius metas maris urget Hiberi
Currus, & evectæ prono laxantur habenæ
Æthere ; cum palmas Tethys grandæva ſinuſque
Suſtulit, & rupto ſonuit ſocer æquore Titan.
Auxerat hora metus ; jam ſe vertentis Olympi
Ut faciem, raptoſque ſimul monteſque locoſque
Ex oculis, circumque graves videre tenebras.
Ipſa quies rerum, mundique ſilentia terrent,
Aſtraque, & effuſis ſtellatus crinibus æther.
Ac velut ignota captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter, non aure quieſcit,
Non oculis ; noctiſque metus niger auget utrinque
Campus, & occurrens umbris majoribus arbor.

Haud aliter trepidare viri. ſed pectora firmans
Hagniades, Non hanc, inquit, ſine numine pinum
Dirigimus: neç me tantum Tritonia curſus
Erudiit; ſæpe ipſa manu dignata carinam eſt.
An non experti, ſubitus cum luce fugata
Horruit imbre dies? quantis, pro Juppiter, auſtris
Reſtitimus! quanta quoties & Palladis arte
In caſſum decimæ cecidit tumor arduus undæ!
Quin agite, o ſocii; micat immutabile cœlum;
Puraque nec gravido ſurrexit Cynthia cornu;
Nullus in ore rubor; certuſque ad talia Titan
Integer in fluctus, & in uno decidit Euro.
Adde, quod in noctem venti veloque marique
Incumbunt magis: it tacitis ratis ocior horis.
Atque adeo non illa ſequi mihi ſidera monſtrant,
Quæ delapſa polo reficit mare: tantus Orion
Jam cadit; irato jam ſtridet in æquore Perſeus:
Sed mihi dux, vetitis qui nunquam conditus undis
Axe nitet ſerpens, ſeptenoſque implicat ignes.
Sic ait: & certi memorat qui vultus Olympi,
Pleïones Hyadumque locos; quo ſidere vibret
Enſis, & Actæus niteat qua luce Bootes.
Hæc ubi dicta dedit; Cereris tum munere feſſas
Reſtituunt vires, & parco corpora Baccho:
Mox ſomno ceſſere: regunt ſua ſidera puppim.
Jamque ſub Eoæ dubios Atlantidis ignes
Albet ager: motiſque truces ab ovilibus urſi
Tuta domoſque petunt: raras & litus in altum
Mittit aves; cum primus equis exegit anhelis
Phœbus Athon, mediaſque diem diſperſit in undas.

Certatim remis agitur mare: roſtraque curſu
Prima tremunt. & jam ſummis Vulcania ſurgit
Lemnos aquis, tibi per varios defleta labores,
Ignipotens: nec te Furiis & crimine matrum
Terra fugat, meritique piget meminiſſe prioris.
Tempore quo primum fremitus inſurgere opertos
Cœlicolûm, & regni ſenſit novitate tumentes
Juppiter; ætheriæ nec ſtare ſilentia pacis:
Junonem volucri primam ſuſpendit Olympo
Horrendum chaos oſtendens, pœnaſque barathri.
Mox etiam pavidæ tentantem vincula matris
Solvere, prærupti Vulcanum vertice cœli
Devolvit: ruit ille polo noctemque diemque,
Turbinis in morem; Lemni cum litore tandem
Inſonuit: vox inde repens ut perculit urbem,
Acclinem ſcopulo inveniunt, miſerentque foventque
Alternos ægro cunctantem poplite greſſus.
Hinc, reduci ſuperas poſtquam pater annuit arces,
Lemnos cara Deo: nec fama notior Ætne
Aut Lipares domus. has epulas, hæc templa, peracta
Ægide, & horrifici formatis fulminis alis,
Lætus adit: contra Veneris ſtat frigida ſemper
Ara loco; meritas poſtquam Dea conjugis iras
Horruit, & tacitæ Martem tenuere catenæ.
Quocirca ſtruit illa nefas, Lemnoque merenti
Exitium furiale movet: neque enim alma videri
Jam tumet, aut tereti crinem ſubnectitur auro,
Sidereos diffuſa ſinus; eadem effera & ingens,
Et maculis ſuffecta genas, pinumque ſonantem
Virginibus Stygiis, nigramque ſimillima pallam.

Iamque dies aderat, Thracas qui fuderat armis:
Dux Lemni, puppes tenui contexere canna
Auſus, & inducto cratem defendere tergo,
Læta mari tum ſigna refert: plenaſque movebat
Armentis nuribuſque rates. it barbara veſtis,
Et torques, inſigne loci. ſonat æquore clamor:
O patria. o variis conjux nunc anxia curis,
Has agimus longi famulas tibi præmia belli.
Cum Dea ſe piceo per ſudum turbida nimbo
Præcipitat; Famamque vagam veſtigat in umbra:
Quam pater omnipotens digna atque indigna canentem,
Spargentemque metus, placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat ſub nubibus imis,
Non Erebi, non Diva poli: terraſque fatigat,
Qua datur: audentem primi ſpernuntque foventque:
Mox omnes agit, & motis quatit oppida linguis.
Talem Diva ſibi ſceleriſque dolique miniſtram
Quærit avens: videt illa prior; jamque advolat ultro
Impatiens; jamque ora parat; jam ſuſcitat aures.
Hanc ſuperincendit Venus, atque his vocibus implet:
Vade, age, & æquoream, virgo, delabere Lemnon,
Et cunctas mihi verte domos: præcurrere qualis
Bella ſoles; cum mille tubas, armataque campis
Agmina, & innumerûm flatus confingis equorum:
Adfore jam luxu turpique cupidine captos.
Fare viros, caraſque toris inducere Threſſas.
Hinc tibi principia; hinc rabidas dolor undique matres
Inſtimulet: mox ipſa adero, ducamque paratas.
Illa abit, & mediam gaudens defertur in urbem:
Et primam Eurynomen ad proxima limina Codri.

Occupat, exeſam curis, caſtumque cubile
Servantem: manet illa viros; famulaſque fatigat
Velleribus: tardi repetunt quæ tempora belli
Ante torum, & longo mulcent inſomnia penſo.
Huic Dea cum lacrimis, & nota veſte Neæræ
Iſta genas: Utinam non hic tibi nuntius eſſem;
O ſoror; aut noſtros, inquit, prius unda dolores
Obruat; in tali quoniam tibi tempore conjux,
Sic meritæ, votis quem tu fletuque requiris,
Heu furit, & captæ indigno famulatur amore.
Jamque aderunt: thalamiſque tuis Threïſſa propinquat;
Non forma, non arte colus, non laude pudoris
Par tibi; nec proles magni præclara Dorycli:
Picta manus, uſtoque placet ſed barbara mento.
Attamen hos tales forſan ſolabere caſus
Tu thalamis, fatoque leges meliore penates.
Me tua matris egens, damnataque pellice proles
Exanimat; quam jam miſeros tranſverſa tuentem,
Letaleſque dapes, infectaque pocula cerno.
Scis ſimile ut flammis ſuus genus. adde cruentis
Quod patrium ſævire Dahis. jam lacte ferino,
Jam veniet durata gelu. ſed me quoque pulſam
Fama viro: noſtroſque toros virgata tenebit
Et plauſtro derepta nurus. ſic fata, querelas
Abſcidit: & curis pavidam lacrimiſque relinquit.
Tranſit ad Iphinoen; iſdemque Amythaonis implet,
Oleniique domum furiis. totam inde per urbem
Perſonat, ut cunctas agitent expellere Lemno;
Ipſi urbem Threſſæque regant. dolor iraque ſurgit.
Obvia quæque eadem traditque auditque: neque ulli

Vana fides. tum voce Deos, tum queſtibus implent.
Oſcula jamque toris, jamque oſcula poſtibus ipſis
Ingeminant: lacrimiſque iterum viſuque morantur.
Proſiliunt; nec tecta virûm, thalamoſque reviſunt
Amplius: agglomerant ſeſe; nudiſque ſub aſtris
Condenſæ fletus acuunt; ac dira precantur
Conjugia, & Stygias infanda ad fœdera tædas.
Has inter medias, Dryopes in imagine mœſtæ,
Flet Venus; & ſævis ardens Dea planctibus inſtat.
Primaque: Sarmaticas utinam, Fortuna, dediſſes
Inſediſſe domos, triſteſque habitaſſe pruinas,
Plauſtra ſequi; vel jam patriæ vidiſſe per ignes
Culmen agi; ſtragemque Deûm! nam cetera belli
Perpetimur. mene ille novis, me deſtinat amens
Servitiis? urbem aut fugiens natoſque relinquam!
Non prius enſe manus, raptoque armabimus igne?
Dumque ſilent, ducuntque nova cum conjuge ſomnos;
Magnum aliquid ſpirabit amor? tunc ignea torquens
Lumina, præcipites excuſſit ab ubere natos.
Illicet arrectæ mentes, evictaque matrum
Corda ſacer Veneris gemitus rapit. æquora cunctæ
Proſpiciunt, ſimulantque choros, delubraque feſta
Fronde tegunt; lætæque viris venientibus adſunt.
Jamque domos menſaſque petunt; diſcumbitur altis
Porticibus: ſua cuique furens feſtinaque conjux
Adjacet. inferni qualis ſub nocte barathri
Accubat attonitum Phlegyan & Theſea juxta
Tiſiphone, ſævaſque dapes & pocula libat,
(Tormenti genus) & nigris amplectitur hydris.
Ipſa Venus quaſſans undantem turbine pinum

Agglomerat tenebras, pugnæque accincta trementem
Deſilit in Lemnon. nimbiſque & luce fragoſa
Proſequitur polus, & tonitru pater auget honoro.
Inde novam pavidas vocem furibunda per aures
Congeminat: qua primus Athos, & pontus, & ingens
Thraca palus, pariterque toris exhorruit omnis.
Mater, & adſtricto riguerunt ubere nati.
Accelerat Pavor, & Geticis Diſcordia demens
E ſtabulis, hirtæque genis pallentibus Iræ,
Et Dolus, & Rabies, & Leti major imago
Viſa, truces exſerta manus; ut prima vocatu
Intonuit, ſignumque dedit Mavortia conjux.
Hic aliud Venus & multo magis ipſa tremendum
Orſa nefas, gemitus fingit, voceſque cadentum:
Irrupitque domos: & ſingultantia geſtans
Ora manu, taboque ſinus perfuſa recenti,
Arrectaſque comas: Meritos en prima revertor
Ulta toros: premit ecce dies. tum verbere victas
In thalamos agit, & cunctantibus invenit enſes.
Unde ego tot ſcelerum facies, tot fata jacentum
Exſequar? heu vatem monſtris quibus intulit ordo!
Quæ ſe aperit ſeries! o qui me vera canentem
Siſtat, & hac noſtras exſolvat imagine noctes!
Invadunt aditus, & quondam cara ſuorum
Corpora: pars, ut erant, dapibus vinoque ſoporos;
Pars conferre manus etiam, magniſque paratæ
Cum facibus; quoſdam inſomnes & cuncta tuentes.
Sed tentare fugam, prohibetque capeſſere contra
Arma metus. adeo ingentes inimica videri
Diva dabat; notaque ſonat vox conjuge major.

Tantum oculos preſſere metu; velut agmina cernant
Eumenidum, ferrumve ſuper Bellona coruſcet.
Hoc ſoror, hoc conjux, propiorque hoc nata parenſque
Sæva valet: prenſoſque toris mactatque trahitque
Femineum genus, immanes quos ſternere Beſſi,
Nec Geticæ potuere manus, aut æquoris iræ.
It cruor in thalamis, & anhela in pectore fumant
Vulnera; ſeque toris miſero luctamine trunci
Devolvunt: diras aliæ ad faſtigia tædas
Injiciunt, adduntque domos: pars ignibus atris
Effugiunt propere; ſed dura in limine conjux
Obſidet, & viſo repetunt incendia ferro.
Aſt aliæ Threſſas labem cauſamque furoris
Diripiunt. mixti gemitus, clamorque precantum
Barbarus, ignotæque implebant æthera voces.
Sed tibi nunc quæ digna tuis ingentibus auſis
Ora feram, decus & patriæ laus una ruentis,
Hypſipyle? non ulla meo te carmine dictam
Abſtulerint, durent Latiis modo ſecula faſtis,
Illiacique lares, tantique palatia regni.
Irruerant actæ pariter natæque nuruſque;
Totaque jam ſparſis exarſerat inſula monſtris:
Illa pias armata manus, Fuge protinus urbem
Meque, pater: non hoſtis, ait, non mœnia læſi
Thraces habent: noſtrum hoc facinus. ne quære, quis auctor.
Jam fuge, jam dubiæ donum rape mentis, & enſem
Tu potius miſeræ retine. tunc excipit artus,
Obnubitque caput, tacitumque ad conſcia Bacchi
Templa rapit: primoque manus a limine tendens,

Exime nos ſceleri, pater, & miſerere piorum
Rurſus, ait. tacita pavidum tunc ſede locavit;
Sub pedibus dextraque Dei. latet ille receptus
Veſte ſacra. voces chorus & trieterica reddunt
Æra ſonum, fixæque fremunt in limine tigres.
Regina ut roſeis Auroram ſurgere bigis
Vidit, & inſomni laſſatas turbine tandem
Conticuiſſe domos; ſtabilem quando optima facta
Dant animum, majorque piis audacia cœptis;
Serta patri, juveniſque comam veſteſque Lyæi
Induit, & medium curru locat; æraque circum,
Tympanaque, & plenas tacita formidine ciſtas.
Ipſa ſinus hederiſque ligat famularibus artus:
Pampineamque quatit ventoſis ictibus haſtam,
Reſpiciens; teneat virides velatus habenas
Ut pater, & nivea tumeant ut cornua mitra;
Et ſacer ut Bacchum referat ſcyphus. impulit acri
Tum validas ſtridore fores; rapiturque per urbem,
Talia voce canens: Linque o mihi cæde madentem,
Bacche, domum. ſine fœdatum te funere pontus
Expiet; & referam lotos in templa dracones.
Sic medios egreſſa metus: facit ipſe verendam
Nam Deus, & flatu non inſcia gliſcit anhelo.
Jamque ſenem tacitis ſæva procul urbe remotum
Occulerat ſilvis: ipſam ſed conſcius auſi
Nocte dieque pavor, fraudataque turbat Erinnys.
Non ſimiles jam ferre choros (ſemel orgia fallunt)
Audet, non patrios furtis accedere ſaltus:
Et fuga diverſas miſero quærenda per artes.

Viſa ratis, ſævæ defecta laboribus undæ,
Quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repoſtam
Solibus, & canis urebat luna pruinis;
Huc genitorem, altæ per opaca ſilentia noctis,
Præcipitem ſilvis rapit; & ſic mœſta profatur:
Quam, genitor, patriam, quanta modo linquis inanes
Pube domos! pro dira lues, pro noctis acerbæ
Exitium! talin' poſſum te credere pnppi,
Care parens? poſſum tantis retinere periclis?
Solvimus heu ſerum Furiis ſcelus! annue votis,
Diva, ſoporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.
Non populos, non dite ſolum, non ulla parenti
Regna peto: patria liceat decedere terra.
Quando ego ſervato mediam genitore per urbem
Læta ferar? quando hic lacrimas planctuſque videbo?
Dixerat. illé procul trunca fugit anxius alno;
Taurorumque locos, delubraque ſæva Dianæ
Advenit. hic illum triſti Dea præficis aræ
Enſe dato. mora nec terris tibi longa cruentis.
Jam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Alba
Juppiter, & ſoli non mitis Aricia regi.
Arcem nata petit, quo jam manus horrida matrum
Congruerat, rauco fremitu ſedere parentum
Natorumque locis: vacuæque in mœnibus urbis
Jura novant: donant ſolio ſceptriſque paternis,
Ut meritam; redeuntque piæ ſua præmia menti.
Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
Arma notant: rapitur ſubito regina tumultu,
Conciliumque vocat. non illis obvia tela

Ferre, nec infeſtos deerat furor improbus ignes:
Ni Veneris ſævas fregiſſet Mulciber iras.
Tunc etiam vates Phœbo dilecta Polyxo,
Non patriam, non certa genus, ſed maxima Ceto
* Proteaque ambiguum Pharii ſe patris ab antris
Huc rexiſſe vias, junctis ſuper æquora phocis:
Sæpe imis ſe condit aquis, cunctataque paulum
Surgit, ut auditas referens in gurgite voces:
Portum demus, ait. hæc hoſpita, credite, pnppis
Adveniet: levior Lemno Deus æquore flexit
Huc Minyas. Venus ipſa volens dat tempora jungi,
Dum vires utero, maternaque ſufficit ætas.
Dicta placent. portatque preces ad litora Grajis
Iphinoe: nec turba nocens, ſceleriſque recentis
Signa movent; tollitque loci Cytherea timorem.
Protinus ingentem procerum ſub nomine taurum
Deicit: inſuetis & jam pia munera templis
Reddit: & hac prima Veneris calet ara juvenca.
Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris
Fumant ſaxa jugis, coquiturque vaporibus aer;
Subſtitit Æſonides. atque hic regina precari
Hortatur: cauſaſque docens, Hæc antra videtis,
Vulcanique, ait, ecce, domos: date vina preceſque,
Forſitan hoc factum taceat jam fulmen in antro;
Nox dabit ipſa fidem: clauſæ cum murmura flammæ,
Hoſpes, & incuſſæ ſonitum mirabere maſſæ.
Mœnia tum, vireſque loci, vetereſque parentum
Jactat opes. mediis famulæ convivia tectis
Expediunt; Tyrio vibrat torus igneus oſtro.

Stat mœrens atavos reges, regeſque maritos
Threſſa manus, quæcunque faces timuiſſe jugales
Credita, nec dominæ ſanctum tetigiſſe cubile.
Jam medio Æſonides, jam ſe regina locavit;
Poſt alii proceres: ſacris dum vincitur extis
Prima fames; circum pateris it Bacchus, & omnis
Aula ſilet: dapibus cœptis mox tempora fallunt
Noctis, & in ſeras durant ſermonibus umbras.
Præcipueque ducis caſus mirata requirit
Hypſipyle: quæ fata trahant, quæ regis agat vis:
Aut unde Hæmoniæ molem ratis. unius hæret
Alloquio, & blandos paulatim colligit ignes,
Jam non dura toris, Veneri nec iniqua reverſæ:
Et Deus ipſe moras ſpatiumque indulget amori.
Pliada lege poli nimboſo moverat aſtro
Juppiter, æternum volvens opus; & ſimul undis
Cuncta ruunt: unoque Dei Pangæa ſub ictu,
Gargaraque, & mœſti ſteterant formidine luci.
Sævior haud alio mortales tempore mentes
Terror agit: tunc urget enim, tunc flagitat iras
In populos Aſtræa Jovem; terriſque relictis
Invocat aſſiduo Saturnia ſidera queſtu.
Inſequitur niger, & magnis cum fratribus Eurus
Intonat Ægæo: tenditque ad litora pontus.
Et lunam quarto denſam videt imbribus ortu
Theſpiades, longus cœptis & fluctibus arcet
Quem metus: uſque novos Divæ melioris ad ignes
Urbe ſedent læti Minyæ, viduiſque vacantes
Indulgent thalamis: nimboſque educere luxu:

Nec jam velle vias: Zephyroſque audire vocantes
Diſſimulant; donec reſides Tyrinthius heros
Non tulit, ipſe rati invigilans, atque integer urbis;
Invidiſſe Deos tantum maris æquor adortis
Deſertaſque domos, fraudataque tempore ſegni
Vota patrum. quid & ipſe viris cunctantibus adſit?
O miſeri, quicunque tuis acceſſimus actis!
Phaſin, & Æeten, Scythicique pericula ponti
Redde, ait, Æſonide: me tecum ſolus in æquor
Rerum traxit amor, dum ſpes mihi ſiſtere montes
Cyaneos, vigilemque alium ſpoliare draconem.
Si ſedet, Ægæi ſcopulos habitare profundi;
Hoc mecum Telamon peraget meus. hæc ubi dicta;
Haud ſecus Æſonides monitis accenſus amaris,
Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Terra juvat, brevis in lævos piger angitur orbes:
Frena tamen dominumque velit, ſi Martius aures
Clamor, & obliti rurſus fragor impleat æris.
Tunc Argum Tiphynque vocat; pelagoque parari
Præcipitat. petit ingenti clamore magiſter
Arma, viros pariter, ſparſoſque in litore remos.
Exoritur novus urbe dolor, planctuſque per omnes
It facies antiqua domos. ſibi mœnia linqui
En iterum. ecquando natorum tempora, gentem
Qui recolant, qui ſceptra gerant? nunc triſte nefandæ
Noctis opus: vidui nunc illa ſilentia tecti
Sæva magis; thalamos excuſſaque vincla quod auſæ
Induere, atque iterum tales admittere curas.
Ipſa quoque Hypſipyle ſubitos per litora curſus

Ut vidit, totaque viros decedere Lemno;
Ingemit, & tali compellat Iaſona queſtu:
Jamne placet primo deducere vela ſereno,
Carius o mihi patre caput? modo ſæva quierunt
Æquora, ſic portus fugeret ratis, aſpera ſi te
Plias in adverſæ tenuiſſet litore Thraces?
Ergo moras cœlo curſumque tenentibus undis
Debuimus? Dixit lacrimans: hæſuraque caro
Dona duci promit chlamydem textoſque labores.
Illic ſervati genitoris conſcia ſacra
Preſſit acu, curruſque pios: ſtant ſæva paventum
Agmina, dantque locum: viridis circum horrida tela
Silva tremit: mediis refugit pater anxius umbris.
Pars & frondoſæ raptus expreſſerat Idæ,
Illuſtremque fugam pueri: mox æthere lætus
Adſtabat menſis: quin & Jovis armiger ipſe
Accipit a Phrygio jam pocula blanda miniſtro.
Tunc enſem, notumque ferens inſigne Thoantis,
Accipe, ait, bellis mediæque ut pulvere pugnæ
Sim comes, Ætnæi genitor quæ flammea geſſit
Dona Dei, nunc digna tuis adjungier armis.
I, memor, i terræ, quæ vos amplexa quieto
Prima ſinu; refer & domitis a Colchidos oris
Vela, per hunc, utero quem linquis Iaſona noſtro.
Sic ait, Hæmonii labens in colla mariti.
Nec minus Orphea triſtis cervice, tuaque,
Æacide, & gemino conjux a Caſtore pendet.
Has inter lacrimas legitur piger uncus arenis:
Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant;

Spumea ſubſequitur fugientis ſemita clavi.
Tunc tenuis Lemnos; tranſitque Electria tellus
Threïciis arcana ſacris: hic numinis ingens
Horror, & incautis decreta piacula linguis.
Hanc demiſſa Jovi non unquam lædere fluctu
Audet hiems: ſponte ipſe Deus tunc aſperat undas;
Cum vetat infidos ſua litora tangere nautas.
Obvius at Minyas terris adytiſque ſacerdos
Excipit, hoſpitibus referans ſecreta, Thyotes.
Hactenus in populos, vates Samothraca, diemque
Miſſa mane: ſacriſque metum ſervemus opertis.
Illi ſole novo læti, plenique Deorum,
Confidunt tranſtris. jam, quas præviderat urbes
Navita, condebat: proræque acceſſerat Imbros:
Et Sol ætherias medius conſcenderat arces.
Theſſala Dardaniis tunc primum puppis arenis
Appulit, & fatis Sigeo litore ſedit.
Deſiliunt: pars hinc levibus candentia velis
Caſtra levat: tracto pars frangit adorea ſaxo
Farra: citum ſtrictis alius de cautibus ignem
Oſtendit foliis, & ſulphure paſcit amico.
Alcides Telamonque comes dum litora blando
Anfractu ſinuoſa legunt, vox accidit aures,
Flebile ſuccedens, ceu fracta remurmurat unda.
Attoniti preſſere gradum; vacuumque ſequuntur
Vocis iter: jam certa ſonat: deſertaque duræ
Virgo neci quem non hominum ſuperûmque vocabat?
Acrius hoc inſtare viri, ſuccurrere certi.
Qualiter, implevit gemitu cum taurus acerbo

Avia, frangentem morſu ſuper alta leonem
Terga ferens; coit e ſparſo concita mapali
Agreſtum manus, & cæco clamore coloni.
Conſtitit Alcides; viſuque eniſus, in alta
Rupe truces manicas, defectaque virginis ora
Cernit, & ad primos turgentia lumina fluctus.
Exanimum veluti, multa tamen arte coactum,
Mœret ebur; Pariuſve notas & nomina ſumit
Cum lapis; aut liquidi referunt miranda colores.
Ductor ait: Quod, virgo, tibi nomenque genuſque,
Quæ fors iſta, doce. tendunt cur vincula palmas?
Illa tremens, triſtique oculos dejecta pudore,
Non ego digna malis, inquit: ſuprema parentum
Dona vides, oſtro ſcopulos auroque frequentes.
Nos Ili veteris quondam genus, invida donec
Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
Principio morbi, cœloque exacta ſereno
Temperies; arſere rogis certantibus agri:
Cum ſubitus fragor, & fluctus Idæa moventes
Cum ſtabulis nemora: ecce, repens conſurgere ponto
Bellua, monſtrum ingens; hanc tu nec montibus ullis,
Nec noſtro metire mari: primæva furenti
Huic manus, amplexus inter planctuſque parentum,
Deditur. hoc ſortes, hoc corniger imperat Hammon,
Virgineam damnare animam, ſortitaque Lethen
Corpora: crudelis ſcopulis me deſtinat urna.
Verum o jam redeunt Phrygibus ſi numina, tuque
Ille ades, auguriis promiſſe & ſorte Deorum;
Jam cui candentes votivo in gramine paſcit

Cornipedes genitor, noſtræ ſtata dona ſalutis,
Annue, meque, precor, defectaque Pergama monſtris
Eripe; namque potes. neque enim tam lata videbam
Pectora, Neptunus muros cum jungeret aſtris;
Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.
Auxerat hæc locus, & facies mœſtiſſima capti
Litoris, & tumuli, cœlumque, quod incubat urbi:
Quale laborantis Nemees iter, aut Erymanthi
Vidit, & infectæ miſeratus flumina Lernæ.
Dat procul interea ſignum Neptunus: & una
Monſtriferi mugire ſinus: Sigeaque peſtis
Agglomerare fretum: cujus ſtellantia glauca
Lumina nube tremunt, atque ordine curva triſulco
Fulmineus quatit ora fragor; pelagoque remenſo
Cauda redit, paſſoſque ſinus rapit ardua cervix.
Illam incumbentem per mille volumina pontus
Proſequitur lateri aſſultans; trepidiſque ruentem
Litoribus ſua cogit hiems. non fluctibus æquis
Nubiferi venit unda Noti, non Africus alto
Tantus ovat, patriiſque manus cum plenus habenis
Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
Ecce ducem placitæ furiis crudeſcere pugnæ,
Surgentemque toris ſtupet, immanemque paratu
Æacides; pulſentque graves ut terga pharetræ.
Ille patrem, pelagique Deos, ſuaque arma precatus,
Inſiluit ſcopulo; motumque e ſedibus æquor
Horruit, & celſi ſpatioſa volumina monſtri.
Qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebri
Tollitur, & volucres Rhipæa per ardua nubes

Præcipitat, piceo nec dum tenet omnia cœlo.
Illa ſimul molem horrificam, ſcopuloſaque terga
Promovet, ingentique umbra ſubit; intremere Ide,
Illidique ratis, pronæque reſurgere turres.
Occupat Alcides arcum, totaque pharetræ
Nube premit. non illa magis, quam ſede moveri
Magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres.
Jam brevis, & telo volucri non utilis aer.
Tum vero fremitus, vanique inſania cœpti,
Et tacitus pudor; & rurſus palleſcere virgo.
Projicit arma manu, ſcopulos vicinaque ſaxa
Reſpicit, & quantum ventis adjuta vetuſtas
Impulerit, pontive fragor, tantum abſcidit imi
Concutiens a ſede maris. jamque agmine toto
Piſtris adeſt, miſeræque inhiat jam proxima prædæ.
Stat mediis elatus aquis, recipitque ruentem
Alcides: ſaxoque prior ſurgentia colla
Obruit: hinc vaſtos nodoſi roboris ictus
Congeminat. fluctus defertur bellua in imos;
Jam totis reſoluta vadis. Idæaque Mater,
Et chorus, & ſummis ulularunt collibus amnes.
Protinus e ſcopulis, & opaca valle reſurgunt
Paſtores, magniſque petunt clamoribus urbem.
Nuntius hinc ſocios Telamon vocat; ac ſimul ipſi
Horreſcunt, ſubitoque vident in ſanguine puppim.
Nec minus in ſcopulos, crudique cacumina ſaxi
Emicat Alcides, vincliſque tenentibus aufert
Virgineas de rupe manus: aptatque ſuperbis
Arma humeris; regem inde petens ſuperabat ovante

Litora tuta gradu. qualis per paſcua victor
Ingreditur, tum colla tumens, tum celſior armis
Taurus, ubi aſſueti pecoris ſtabula alta reviſit,
Et patrium nemus, & bello quos ultus amores.
Obvia cui contra, longis emiſſa tenebris,
Turba Phrygum, parvumque trahens cum conjuge natum
Laomedon, jam mœſtus equos, jam debita poſci
Dona gemit. pars aerii faſtigia muri
Cingit, & ignotis juvenem mirantur in armis.
Illum torva tuens, atque acri lubricus aſtu
Rex ſubit, & patrio fatur male lætus amore:
Maxime Grajugenûm, quem non Sigea petentem
Litora, nec noſtræ miſerantem funera Trojæ,
Appulit his Fors ipſa locis; ſi vera parentem
Fama Jovem, ſummique tibi genus eſſe Tonantis;
Noſter ades, junctuſque veni: ſator unus, & idem
Stirpis honos: quanquam longis disjungimur oris.
Quot mihi poſt lacrimas, poſt quanta piacula patrum
Serus ades? quam parva tuis jam gloria factis?
Verum, age, nunc ſocios fraternis mœnibus infer,
Ut tibi, ſervata ſtatui quæ munera prole,
Craſtina lux bijuges ſtabulis oſtendat apertis.
Dixerat hæc: tacituſque dolos, dirumque volutat
Corde nefas, clauſum ut thalamis ſomnoque gravatum
Immolet, ereptaque luat reſponſa pharetra:
Namque bis Herculeis deberi Pergama telis
Audierat. Priami ſed quis jam vertere regni
Fata queat? manet immotis nox Dorica luſtris,
Et genus Æneadûm, & Trojæ melioris honores.

Nos, ait, ad Scythici, Tirynthius, oſtia ponti
Raptat iter; mox huc veſtras revehemur ad oras,
Donaque dicta feram. tum vero plura vocatis
Annuit ille Deis. promiſſa infida tyranni
Jam Phryges, & miſeræ flebant diſcrimina Trojæ.
Panditur hinc totis in noctem carbaſus alis;
Litoraque, & veteris tumulos prælabitur Ili,
Dardaniumque patrem: vigili ſimul omnia ludo
Feſta vident. hinc unda, ſacris hinc ignibus Ide
Vibrat, & horriſonæ reſpondent Gargara buxo.
Inde ubi jam medii tenuere ſilentia ponti,
Stridenteſque juvant auræ, Phrixea ſubibant
Æquora, & anguſtas quondam ſine nomine fauces.
Ecce autem prima volucrem ſub luce dehiſcens
Terruit unda ratem: vittataque conſtitit Helle,
Jam Panopes Tethidiſque ſoror: jamque aurea læva
Sceptra tenens: tum ſternit aquas, procereſque ducemque
Aſpicit, & placidis compellat Iaſona dictis:
Te quoque ab Hæmoniis ignota per æquora terris,
Regna infeſta domus, fatiſque ſimillima noſtris
Fata ferunt: iterum Æolios Fortuna penates
Spargit, & infelix Scythicum gens quæritis amnem.
Vaſta ſuper tellus, longum (ne deſice cœptis)
Æquor; & ipſe procul (verum dabit oſtia) Phaſis.
Hic nemus arcanum, geminæque virentibus aræ
Stant tumulis. celeres hic prima piacula Phrixo
Ferte manu; cinerique precor mea reddite dicta:
Non ego per Stygiæ, quod rere, ſilentia ripæ,
Frater, agor. fruſtra vacui ſcrutaris Averni,

Care, vias. neque enim ſcopulis me & fluctibus actam
Frangit hiems; celeri extemplo ſubiere ruentem
Cymothoe Glaucuſque manu: pater ipſe profundi
Has etiam ſedes, hæc numine tradidit æquo
Regna; nec Inoïs noſter ſinus invidet undis.
Dixerat: & mœſtos tranquilla ſub æquora vultus
Cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores.
Tum pelago vina invergens dux talibus infit:
Undarum decus & gentis, Cretheïa virgo,
Pande viam, curſuque tuos age, Diva, ſecundo.
Immittitque ratem, mediaſque intervolat urbes,
Qua brevibus furit æſtus aquis; Aſiamque prementem
Effugit abruptis Europa immanior oris.
Has etiam terras, conſertaque gentibus arva,
Sic, pelago pulſante, reor, Neptunia quondam
Cuſpis, & adverſi longus labor abſcidit ævi;
Ut Siculum Libycumque latus: ſtupuitque fragorem
Canus & occiduis regnator montibus Atlas.
Jam juga Percotes, Pariumque infame fragoſis
Exſuperant Pityamque vadis, tranſmiſſaque puppi
Lampſacus: Ogygii quam nec trieterica Bacchi
Sacra, neque arcanis Phrygius furor invehit antris,
Sed ſuus in Venerem raptat Deus. illius aras
Urbe ſuper, celſique vident velamina templi.
Rarior hinc tellus, atque ingens undique cœlum
Rurſus, & incipiens alium proſpectus in orbem.
Terra ſinu medio Pontum jacet inter & Hellen,
Ceu fundo prolata maris: namque improba cæcis
Intulit arva vadis, longoque ſub æquora dorſo

Litus agit. tenet hinc veterem confinibus oris
Pars Phrygiam, pars diſcreti juga pinea montis.
Nec procul ad tenuis ſurgit confinia ponti
Urbs placidis demiſſa jugis: rex divitis agri
Cyzicus: Hæmoniæ qui tum nova ſigna carinæ
Ut videt, ipſe ultro primas procurrit ad undas,
Miraturque viros, dextramque amplexus, & hærens,
Incipit: O terris nunc primum cognita noſtris
Æmathiæ manus, & fama mihi major imago.
Non tamen hæc adeo ſemota, neque ardua tellus,
Longaque jam populis impervia lucis Eoæ;
Cum tales intraſſe duces, tot robora cerno.
Nam licet hinc ſævas tellus alat horrida gentes,
Meque fremens tumido circumfluat ore Propontis;
Veſtra fides, rituſque pares, & mitia cultu
His etiam mihi corda locis, procul effera virtus
Bebrycis, & Scythici procul inclementia ſacri.
Sic memorat; lætoſque rapit: ſimul hoſpita pandi
Tecta jubet, templiſque ſacros largitur honores.
Stant gemmis auroque tori, menſæque paratu
Regifico; centumque pares primæva miniſtri
Corpora: pars epulas manibus, pars aurea geſtant
Pocula, bellorum caſus expreſſa recentum.
Atque ea prima duci porgens carcheſia Grajo
Cyzicus, Hic portus, inquit, mihi territat hoſtis:
Has acies ſub nocte refert: hæc verſa Pelaſgûm
Terga vides: meus hic, ratibus qui paſcitur, ignis.
Subjicit Æſonides: Utinam nunc ira Pelaſgos
Efferet, & ſolitis tentent concurrere furtis;

Cunctaque ſe ratibus fundat manus: arma videbis
Hoſpita, nec poſt hanc ultra tibi prœlia noctem.
Sic ait: haſque inter variis nox plurima dictis
Rapta vices, nec non ſimili lux poſtera tractu.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER TERTIUS.

LIBRI TERTII
ARGUMENTUM
ÆGIDIO MASERIO
AUCTORE.

Cyzicon, Argolicoſque duces nocturna nefandum
In ſcelus impellunt bella: indignamque fatentur
Fœdere conjuncti mortem. fit luctus in urbe.
Ad tumulum celebratur honos. gemit Æſone natus
Mœſtitiam oſtentans animi. ſed pectora dictis,
Mopſe, levans multis facienda piacula cæſis
Sancta jubes. mactantur oves ad litora. cantu
Luſtrifico Manes exciti abolere jubentur
Bella, minas, motus trepidos, nocturnaque tædis
Signa Acheronteis mixta. hinc ratis æquora rurſus
Ingreditur: lituſque offert tunc Myſia nautis.
Pulcher Hylas rapitur, miſſo volat Hercule puppis.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER III.

TERTIA jam gelidas Tithonia ſolverat umbras;
Exueratque polum; Tiphyn placida alta vocabant.
It tectis Argoa manus; ſimul urbe profuſi
Ænidæ caris ſociûm digreſſibus hærent.
Dat Cererem, lectumque pecus; nec palmite Bacchum
Bithyno Phrygiove ſatum; ſed quem ſua noto
Colle per anguſtæ Lesbos freta ſuggerit Helles.
Ipſe agit Æſonide junctos ad litora greſſus
Cyzicus, abſceſſu lacrimans; oneratque ſuperbis
Muneribus, primas conjux Percoſia veſtes
Quas dabat, & picto Clite variaverat auro.
Tum galeam, & patriæ telum inſuperabile dextræ
Addidit: ipſe ducis pateras & Theſſala contra
Frena capit: manibuſque datis junxere penates.
Tu mihi nunc cauſas infandaque prœlia, Clio,
Pande virûm: tibi enim ſuperûm data, virgo, facultas

Noſſe animos, rerumque vias; cur talia paſſus
Arma; quid hoſpitiis junctas concurrere dextras
Juppiter; unde tubæ, nocturnaque movit Erinnys.
Dindyma ſanguineis famulûm bacchata lacertis
Dum volucri quatit aſper equo, ſilvaſque fatigat
Cyzicus, ingenti prædæ deceptus amore,
Aſſuetum Phrygias dominam vectare per urbes,
Oppreſſit jaculo redeuntem ad frena leonem.
Et nunc ille jubas captivaque poſtibus ora
Impoſuit, ſpolium infelix, Divæque pudendum.
Quæ poſtquam Hæmoniam, tantæ non immemor iræ,
Æriſono de monte ratem, præfixaque regum
Scuta videt, nova monſtra viro, nova funera volvit;
Ut ſocias in nocte manus, utque impia bella
Conferat; & ſævis erroribus implicet urbem.
Nox erat, & leni canebant æquora ſulco;
Et jam prona leves ſpargebant ſidera ſomnos.
Aura vehit: religant tonſas: veloque Procneſſon,
Teque etiam medio flaventem, Rhundace, ponto,
Spumoſumque legunt fracta Scylaceïon unda.
Ipſe diem longe Soliſque cubilia Tiphys
Conſulit; ipſe ratem vento ſtelliſque miniſtrat.
Atque illum non ante ſopor luctamine tanto
Lenit agens Divûm imperiis: cadit inſcia clavo
Dextera, demittitque oculos; ſolataque puppis
Turbine flectit iter, portuque refertur amico.
Ut notis allapſa vadis, dant æthere longo
Signa tubæ: vox & mediis emiſſa tenebris:
Hoſtis habet portus; ſoliti rediere Pelaſgi.
Rupta quies: Deus ancipitem lymphaverat urbem,

Mygdoniæ Pan juſſa ferens ſæviſſima Matris.
Pan nemorum bellique potens; quem lucis ad horas
Antra tenent: patet ad medias per devia noctes.
Sætigerum latus, & torvæ coma ſibila frontis.
Vox omnes ſuper una tubas, qua conus & enſes,
Qua trepidis auriga rotis, nocturnaque muris
Clauſtra cadunt; taleſque metus non Martia caſſis,
Eumenidumque comæ, non triſtis ab æthere Gorgon
Sparſerit, aut tantis aciem raptaverit umbris.
Ludus & ille Deo; pavidum præſepibus aufert
Cum pecus, & profugi ſternunt dumeta juvenci.
Ilicet ad regem clamor ruit. exſilit, altis
Somnia dira toris ſimulacraque pallida linquens,
Cyzicus. ecce ſuper foribus Bellona recluſis,
Nuda latus, paſſuque movens orichalca ſonoro,
Adſtitit, & triplici pulſans faſtigia criſta,
Inde ciere virum. ſequitur per mœnia demens
Ille Deam, & fatis extrema in prœlia tendit.
Qualis in Alciden & Theſea Rhœtus, iniqui
Nube meri geminam Pholoen majoraque cernens
Antra, ruit: qualiſve redit, venatibus actis,
Luſtra pater Triviamque canens; humeroque Learchum
Advehit: at miſeræ declinant lumina Thebæ.
Jamque adeo nec porta ducem, nec pone moratur
Excubias ſortita manus: quæ prima furenti
Advolat; hinc alii ſubeunt, ut proxima quæque
Intremuit domus, & motus accepit inanes.
At Minyas anceps fixit pavor. ægra virorum
Corda labant: nec quæ regio, aut diſcrimina, cernunt:
Cur galeæ clypeique micent: num pervigil armis

Hoſtis, & exciti dent obvia prœlia Colchi.
Donec & haſta volans immani turbine tranſtris
Inſonuit, monuitque ratem rapere obvia cæca
Arma manu. Princeps galeam conſtringit Iaſon;
Vociferans: Primam hanc nati, pater, accipe pugnam:
Voſque, viri, optatos huc affore credite Colchos.
Biſtonas in medios ceu Martius exſilit aſtris
Currus; ubi ingentes animæ, clamorque, tubæque
Sanguineæ juvere Deum. non ſegnius ille
Occupat arva furens; ſequitur vis omnis Achivûm:
Agglomerant latera; & denſis thoracibus horrens
Stat manus; ægiſono quam nec fera pectore virgo
Diſpulerit, nec dextra Jovis, Terrorque Pavorque
Martis equi. ſic contextis umbonibus urgent;
Cæruleo veluti cum Juppiter agmine nubem
Conſtituit; certant Zephyri, fruſtraque rigentem
Pulſat utrinque Notus: pendent mortalia longo
Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis.
Hinc manus infelix, clamore impellere magno
Saxa, faceſque atras, & tortæ pondera fundæ:
Fert ſonitus immota phalanx; iraſque retentant,
Congeries dum prima fluat. ſtellantia Mopſus
Tegmina, & ingentem Corythi notat Eurytos umbram.
Reſtitit ille gradu; ſeſeque a lumine ferri
Suſtinuit præceps: ſubitum ceu paſtor ad amnem,
Spumantem nimbis, fluctuque arbuſta ruentem.
Et Tydeus, en intentis quem viribus, inquit,
Experiar; manibuſque dari quem comminus optem:
Quo ſteteris, moriere loco. ſubit ilia cuſpis
Olenii: dedit ille ſonum; compreſſaque mandens

Æquora purpuream ſingultibus exſpuit auram.
Ac velut in medio rupes latet horrida ponto,
Quam ſuper ignari nunquam rexere magiſtri
Præcipites impune rates: ſic agmine cæco
Incurrit ſtrictis manus enſibus. occubat Iron,
Et Cotys, & Pyrno melior genitore Bienor.
At magis interea diverſo turbida motu
Urbs agitur. Genyſo conjux amoverat arma:
Aſt illi ſubitus ventis vivoque reluxit
Torre focus; telis gaudes, miſerande, repertis.
Linquit & undantes menſas, infectaque pernox
Sacra Medon: chlamys imbelli circumvenit oſtro
Torta manum; ſtrictoque vias præfulgurat enſe.
Talis in arma ruit; nec vina dapeſque remotæ;
* Statque loco torus; in quo (omen) manſere miniſtri.
* Inde vagi nec tela modis nec caſibus iſdem
Conſeruere manum, & longe jacuere peremti.
Ecce gravem nodis pinguique bitumine quaſſans
Lampada, turbata Phlegyas decurrit ab arce:
Ille leves de more manus, aciemque Pelaſgûm
Per noctem remeaſſe ratus, pulſumque requirens
Sæpe ſibi vano Thamyrum clamore petebat
Arduus, & late fumanti nnbe coruſcus,
Quantus ubi immenſo proſpexit ab æthere Typhon;
Igne ſimul ventiſque rubens; quem Juppiter alte
Crine tenet: trepidant diro ſub lumine puppes.
Tollitur hinc, totuſque ruit Tirynthius arcu,
* Pectore certa regens adverſa ſpicula flamma,
Per piceos accenſa globos: & pectus arundo
Per medium contenta fugit. ruit ille comanti

Ore facem ſupra, majorque apparuit ignis.
Ambroſium Peleus, ingentem Ancæus Ethelum
Sternit: & elatæ propius ſuccedere dextræ
Teleccoonta finit; duplicataque ora ſecuri
Disjecit cervice tenus. ſimul aſpera victor
Cingula ſubluſtri vibrantia detrahit umbra.
Has, precor, exuvias & prima cadavera, Neſtor;
Linquite, ait: ferro potius mihi dextera, ferro
Navet opus: prenſumque manu detruncat Amaſtrum:
Diverſaſque ſimul ſocios invadere turmas
Admonuit. pergunt rupta teſtudine fuſi,
Qua tenebræ campique ferunt. gravis invenit Ochum
Phleïas, & trepido Pollux impingitur Hebro.
Ipſe ſuper vultus, taboque labantia terga,
Dux campi Martiſque potens, ut cæca profundo
Currit hiems, Zelen & Broten Abarinque relinquit
Semineces; Glaucum ſequitur; Glaucumque ruentem
Occupat, & jugulo vulnus molitur aperto.
Ille manu contra telum tenet, ultima fruſtra
Verba ciens; fixamque videt decreſcere cornum.
Hinc Halyn, hinc rigido tranſcurrens demetit enſe
Prothin, & inſignem cithara cantuque fluenti
Dorcea; qui dulci feſtis aſſiſtere menſis
Pectine Biſtoniæ magnum poſt auſus alumnum.
Nec pharetram, aut acres ultra Tirynthius arcus
Exercet; ſocia ſed disjicit agmina clava.
Ac veluti magna juvenum cum denſa ſecuri
Silva labat; cuneiſque gemit grave robur adactis;
Jamque abies piceæque ruunt: ſic dura ſub ictu
Oſſa virûm malæque ſonant, ſparſuſque cerebro

Digitized by Google

Albet ager. levis ante pedes ſubſederat Ichnon;
Occupat os barbamque viri, clavamque ſuperne
Intonat: Occumbens i nunc, ait, Herculis armis;
Donum ingens, ſemperque tuis mirabile fatis.
Horruit ille cadens: nomenque agnovit amicum
Primus, & ignaris dirum ſcelus attulit umbris.
Nec tibi, Theſſalicos tunc profuit, Ornyte, reges
Hoſpitiis, aut mente moras foviſſe benigna,
Et laribus ſacraſſe diem: procul advenit Idmon,
Oblatumque ferit, galeam criſtaſque rubentes,
Heu tua dona! gerens. quem te, qualemque videbit
Attonitus, Crenæe, parens! en frigidus orbes
Purpureos jam ſomnus obit: jam candor, & anni
Deficiunt; vitaque fugit decus omne ſoluta.
Deſere nunc nemus, & Nympharum durus amores.
At diverſa Sagen turbantem fallere nervo
Tum primum puer auſus Hylas: ſpes maxima bellis
Pulcher Hylas, ſi fata ſinant, ſi proſpera Juno;
Proſtravitque virum celeri per pectora telo.
Acceſſere (nefas) tenebris fallacibus acti
Tyndaridæ in ſeſe: Caſtor prius ibat in ictus
Neſcius; aſt illos nova lux, ſubituſque diremit
Frontis apex. tum Caſtor Ityn; qua cærulus ambit
Balteus, & gemini committunt ora dracones;
Frater Hagen, Thapſumque, ſecurigerumque Nealcen
Tranſigit, & Canthi pallentem vulnere Cydrum.
Torſerat hic totis conniſus viribus haſtam
Venatori Erymo: brevis hanc ſed fata ferentem
Prodidit, & piceo comitem miſerata refulſit
Luna polo: ceſſere jubæ; raptumque per auras

Vulnus; & extrema ſonuit cita caſſide cuſpis.
Niſæum Telamon, & Ophelten vana ſonantem,
Per clypei cedentis opus, partemque ttilicem,
Qua ſtomachi ſecreta, ferit; lætuſque profatur:
Dî, precor, hunc regem, aut æque delegerit alta
Fors mihi gente ſatum; magnuſque & flebilis urbi
Conciderit. ſuper addit Aren, fratremque Melanthum,
Phoceaque Oleniden; Lelegum qui pulſus ab oris,
Regis amicitiam, & famuli propioris honores
(Qua patiens non arte?) tulit. nox alta cadentum,
Ingentes donec ſonitus, augetque ruinas.
Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Veſvius, attonitas acer cum ſuſcitat urbes:
Sic pugnæ crudeſcit opus. neque enim ignea cedunt
Aſtra loco; lentis hæret nox conſcia bigis.
Perge, age, Tartareæ mecum ſimul omnia noctis,
Muſa, ſequi: trepidam Phaethon afflavit ab alto
Tiſiphonen; graviorque locos jam luce propinqua
Umbra premit: non ſigna virûm, non funera cernunt;
Et rabie magis ora calent. vos prodite, Divæ,
Eumenidum noctiſque globos; vatique pateſcat
Armorum fragor, & trepidi ſingultibus agri
Labentum, atque acti Minyis per litora Manes.
Cyzicus hic aciem vanis diſcurſibus implet,
Fata trahens; jam pulſa ſibi ceſſiſſe Pelaſgûm
Agmina, jam paſſim vacuos disjecta per agros
Credit ovans, tales aditus, ea gaudia fingit
Ira Deûm. fundo veluti cum Cœus in imo,
Vincla Jovis fractoque trahens adamante catenas,
Saturnum Tityonque vocat; ſpemque ætheris amens

Concipit: aſt illum fluviis & nocte remenſa
Eumenidum canis, & ſparſæ juba reppulit hydræ.
Sævit acerba fremens; tardumque a mœnibus agmen
Increpitat: Nunquamne dolor virtute ſubibit
Nil auſas ſine rege manus? at barbara buxus
Si vocet, & motis ululantia Dindyma ſacris;
Tunc enſis placeatque furor: modo tela ſacerdos
Porrigat, & juſſa ſanguis exuberet ulna.
Talibus inſultans jamdudum numine Divæ
Deficit: infracti langueſcunt frigore curſus:
Corda pavent; audit fremitus iraſque leonum,
Cornuaque; & motas videt inter nubila turres.
Tunc gravis, & certo tendens ſtridore per umbras,
Æſonii venit haſta ducis, latumque ſub imo
Pectore rumpit iter. quam nunc incognita vellet
Luſtra ſibi, nulliſque datos venatibus annos?
Talia magnanimi diverſo turbine fundunt
Tela viri; ſonituque pedum, ſuſpectaque motu
Explorant: prenſant ſocios, vocemque repoſcunt.
Quod ſi tanta lues feros duraſſet in ortus;
Exſtinctum genus, & ſolas per mœnia matres
Vidiſſet, ſtratamque dies in litore gentem.
Tum pater omnipotens tempus, jam rege peremto,
Flectere fata ratus, miſeraſque abrumpere pugnas,
Supremam celeravit opem: nutuque ſereno
Intonuit: quem nocte fatæ, quem turbidus horret
Armipotens. tunc porta trucis coit infera belli.
Continuo dant terga metu, verſique per agros
Diffugiunt; quæ ſola ſalus: nec terga ruentum
Mens Minyis converſa ſequi: ſtetit anxia virtus.

Ecce, levi primos jam ſpargere lumine portus
Orta dies; notæque (nefas) albeſcere turres.
Dî maris, attonito conclamat ab agmine Tiphys,
Ut mea fatali damnaſtis pectora ſomno!
Heu ſocii quantis complerunt litora monſtris!
Illi autem neque adhuc gemitus, neque conſcia facti
Ora levant: tenet exſangues rigor horridus artus.
Ceu pavet ad crines, & triſtia Pentheos ora
Thyas; ubi impulſæ jam ſe Deus agmine matris
Abſtulit, & cæſi vaneſcunt cornua tauri.
Nec minus effuſi grandævum ad litora vulgus,
Ut ſocias videre manus, dare verſa retrorſus
Terga metu; dextram tendens proclamat Iaſon:
Quos fugitis? vellem hac equidem me ſtrage meoſque
Procubuiſſe magis. Deus hæc, Deus aſper utriſque
Implicuit. ſumus heu Minyæ, ſumus hoſpita turba!
Cur etiam flammas, miſeroſque moramur honores?
Tum ſuper exſangues conſertæ cædis acervos
Præcipiti plangore ruunt. agnoſcit in alta
Strage virûm ſua texta parens, ſua munera conjux.
It gemitus toto ſinuoſa per æquora cœlo.
Pars tenues flatus, & adhuc ſtridentia prenſant
Vulnera: pars fera componunt lumina dextra.
At vero, in mediis exſangui rege reperto
Aggeribus, triſti ſileant ceu cetera planctu,
Sic famulûm matrumque dolor, ſic omnis ad unum
Verſa manus. circa lacrimis ac mentibus ægri
Stant Minyæ: deflentque nefas, & cuſpidis ictus
Æſoniæ; fortemque ducis ſolantur acerbam.
Ille ubi concretos pingui jam ſanguine crines,

Pallenteſque genas, infractaque pectore caro
Tela, neque heſternos agnovit in hoſpite vultus;
Ingemit, atque artus fatur complexus amicos:
Te tamen ignarum tanti, miſerande, furoris
Nox habet, & nullo teſtantem fœdera queſtu:
At mihi luctificum venit jubar. en quibus adſum
Colloquiis? cui me hoſpitio Fortuna revexit?
Exſtinguine mea (fatis hoc defuit unum)
Speravi te poſſe manu? taliſve reliqui
Has ego, amice, domos? quod ſi jam bella manebant;
Et placitum hoc Superis: nonne hæc mea juſtius eſſent
Funera? meque tuus potius nunc plangeret error?
Nec Clarii nunc antra Dei, quercuſque Tonantis
Arguerem. taleſne acies, taleſne triumphos
Sorte dabant? tantumne nefas mens conſcia vatum
Conticuit, patriæ exitium crudele ſenectæ,
Et tot acerba canens? heu Divis viſa ſiniſtris
Regna mihi! quinam reditus? quæ me hoſpita tellus
Accipiet? quæ non primis prohibebit arenis?
Invidere Dei, ne Phaſidis arva remoti,
Et Scythicas populatus opes, hæc rurſus adirem
Litora; neve tuos irem tunc ultor in hoſtes.
Fas tamen eſt conferre genas; fas jungere tecum
Pectora, & exſangues miſcere amplexibus artus.
Vos, age, funereas ad litora volvite ſilvas,
Et ſocios luſtrate rogos; date debita cæſis
Munera, quæ noſtro miſiſſet Cyzicus igni.
Parte alia Clite laceras ſuper ora mariti
Fuſa comas, miſera in planctus vocat agmina matrum;
Fatur & hæc: Primis conjux ereptus in annis

Cunćta trahis: necdum ſuboles, nec gaudia de te
Ulla mihi; quîs mœſta tuos nunc, optime, caſus
Perpeterer, tenui luctum ſolamine fallens.
Mygdonis arma patrem, funeſtaque prœlia nuper
Natales rapuere domos; Triviæque potentis
Occidit arcana genitrix abſumta ſagitta:
Tu, mihi qui conjux pariter fraterque parenſque
Solus, & a prima fueras ſpes una juventa,
Deſeris heu; totamque Deus ſimul impulit urbem!
Aſt ego non media te ſaltem, Cyzice, vidi
Tendentem mihi morte manus; aut ulla monentis
Verba tuli. quin & thalamis modo queſta morari,
Heu talem tantique metus ſecura recepi?
Illam vix gemino mœrens cum Caſtore Pollux
Erigit hærentem, compreſſaque colla trahentem.
Interea innumeras nudatis montibus urgent
Certatim decorantque pyras; & corpora mœſti
Summa locant: vadit ſonipes cervice remiſſa;
Venatrix nec turba canum, pecudumque morantur:
Funereæ quæ cuique manus, quæ cura ſuorum,
Quæ fortuna fuit. medio rex aggere longe
Eminet; hunc crebris quatiens ſingultibus ora
Allevat Æſonides, celſoque reponit in oſtro.
Dat pictas auro atque ardentes murice veſtes,
Quas rapuit telis feſtina vocantibus auſtris
Hypſipyle: galeam dilectaque cingula regi
Injicit: ille, ſuam vultum converſus ad urbem,
Sceptra manu veterum retinet geſtamen avorum.
Nam quia nec proles, alius nec denique ſanguis,
Ipſe decus regnique refert inſigne paterni.

Inde, ter armatos Minyis referentibus orbes,
Concuſſi tremuere rogi: ter inhorruit æther,
Luctificum clangente tuba: jecere ſupremo
Tum clamore faces. rerum labor omnis in auras
Solvitur, & celſis collucent æquora flammis.
Scilicet hæc illo juvenem populoſque manebant
Tempore, Peliacis caderet cum montibus arbor:
Hoc volucrumque minæ, præſagaque fulmina longo
Acta mari tulerant. ſed quis non prima refellat
Monſtra Deûm, longoſque ſibi non auguret annos?
Jamque ſolutus honos cineri: jam paſſibus ægris
Dilapſæ cum prole nurus: tandemque quieſcunt
Diſſona pervigili planctu juga; qualiter Arctos
Ad patrias avibus medio jam vere revectis
Memphis, & aprici ſtatio ſilet annua Nili.
At non inde dies, neque jam magnis aſpera curis
Nox Minyas tanta cæſorum ab imagine ſolvit.
Bis Zephyri jam vela vocant; fiducia mœſtis
Nulla viris: ægro aſſidue mens carpitur æſtu:
Necdum omnes lacrimas, atque omnia reddita cæſis
Juſta putant: patria ex oculis, acerque laborum
Pulſus amor; ſegnique juvat frigeſcere luctu.
Ipſe etiam Æſonides (quanquam triſtiſſima rerum
Caſtiganda duci, vultuque premenda ſereno)
Dulcibus indulget lacrimis, aperitque dolorem.
Tum ſecreta trahens Phœbeum ad litora Mopſum:
Quænam, ait, iſta lues? aut quæ ſententia Divûm?
Decretuſne venit fato pavor? an ſibi nectunt
Corda moras? cur jam immemores famæque lariſque
Angimur? aut pariet quemnam hæc ignavia finem?

Dicam, ait, ac penitus cauſas labemque docebo,
Mopſus; & aſtra tuens: Non ſi mortalia membra,
Sortituſque breves, & parvi tempora fati
Perpetimur, ſocius ſuperi quondam ignis Olympi;
Fas ideo miſcere neces: ferroque morantes
Exigere hinc animas, redituraque ſemina cœlo.
Quippe nec in ventos, nec in ultima ſolvimur oſſa:
Ira manet, duratque dolor: cum deinde tremendi
Ad ſolium venere Jovis, queſtuque nefandam
Edocuere necem; patet ollis janua leti;
Atque iterum remeare licet: comes una ſororum
Additur, & pariter terras atque æquora luſtrant.
Quiſque ſuos ſontes, inimicaque pectora pœnis
Implicat; & varia meritos formidine pulſant.
At quibus invito maduerunt ſanguine dextræ,
Si fors ſæva tulit miſeros, & proxima culpæ,
Hos variis mens ipſa modis agit: & ſua carpunt
Facta viros reſides: & jam nil amplius auſi,
In lacrimas, humileſque metus, ægramque fatiſcunt
Segnitiem: quos ecce vides. ſed noſtra requiret
Cura viam, memori jam pridem cognita vate.
Eſt procul, ad Stygiæ devexa ſilentia noctis,
Cimmerium domus, & ſuperis incognita tellus,
Cæruleo tenebroſa ſitu: quo flammea nunquam
Sol juga, ſidereos nec mittit Juppiter annos:
Stant tacitæ frondes; immotaque ſilva comanti
Horret verna jugo: ſpecus umbrarumque meatus
Subter, & Oceani præceps fragor; arvaque nigro
Vaſta metu: & ſubitæ poſt longa ſilentia voces.
Enſifer hic, atraque ſedens in veſte Celeneus,

Inſontes errore luit: culpamque remittens,
Carmina turbatos volvit placantia manes.
Ille mihi, quæ danda ſorent luſtramina cæſis,
Prodidit: ille volens Erebum terraſque retexit.
Ergo ubi puniceas oriens aſcenderit undas;
Tu ſocios adhibere ſacris, armentaque magnis
Bina Deis: me jam cœtus accēdere veſtros
Haud fas interea; donec luſtralia pernox
Vota fero. movet en gelidos Latonia currus.
Flecte gradum; placitis ſileant, age, litora cœptis.
Jamque ſopor mediis tellurem preſſerat horis,
Et circum tacito volitabant ſomnia mundo:
Cum vigil arcani ſpeculatus tempora ſacri
Ampycides, petit adverſis Æſepia ſilvis
Flumina, & æquoreas pariter decurrit ad undas.
Hic ſale purpureo, vivaque nitentia lympha
Membra novat; ſeque horrificis accommodat actis.
Tempora tum vittis & ſupplice caſtus oliva
Implicat, & ſtricto deſignat litora ferro:
Circum humiles aras, ignotaque nomina Divûm
Inſtituit, ſilvaque ſuper contriſtat opaca.
Utque metum numenque loco, ſacramque quietem [a]
Addidit; ardenti nitidum jubar evocat alto.
Atque Argoa manus variis inſignis in armis
Ibat, agens lectas aurata fronte bidentes.
Delius hic longe candenti veſte ſacerdos
Occurrit, ramoque vocat: jamque ipſe recenti
Stat tumulo, placida tranſmittens agmina lauro:
Ducit & ad fluvios, ac vincula ſolvere monſtrat
Prima pedum; glaucaſque comis prætexere frondes

Imperat. hinc alte Phœbi ſurgentis ad orbem
Ferre manus, totiſque ſimul procumbere campis.
Tunc piceæ mactantur oves; proſectaque partim
Pectora, per medios partim gerit obvius Idmon.
Ter tacitos egere gradus; ter triſtia tangens
Arma ſimul veſteſque virûm, luſtramina ponto
Pone jacit: rapidis adolentur cetera flammis.
Quin etiam truncas nemorum effigieſque virorum
Rite locat quercus; ſimulataque ſubligat arma.
Huc Stygias tranſire minas, iramque ſeveri
Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas:
Atque ita luſtrifico cantu vocat: Ite peremti,
Ac memores abolete animas; ſint otia vobis,
Sit Stygiæ jam ſedis amor. procul agmine noſtro,
Et procul eſte mari: cunctiſque abſiſtite bellis.
Vos ego nec Grajas unquam contendere ad urbes,
Nec triviis ululare velim; pecorique ſatiſque
Nullæ ideo peſtes, nec luctifer ingruat annus:
Nec populi, noſtrive luant ea facta minores.
Dixerat: & ſummas frondentibus intulit aris,
Libavitque dapes; placidi quas protinus angues,
Umbrarum famuli, linguis rapuere coruſcis.
Continuo puppim petere, & conſidere tranſtris
Imperat Ampycides; nec viſum vertere terræ:
Exciderint quæ geſta manu, quæ debita fatis.
Illi alacres, pars arma locant, pars ardua celſis
Inſternunt tabulata foris: oriturque trementum
Remorum ſonus, & lætæ concordia vocis.
Juppiter urgentem ceu ſumma Ceraunia nubem
Cum pepulit, movitque jugis; fulſere repente

Et nemora & ſcopuli, nitiduſque reducitur æther.
Sic animi rediere viris: jamque ipſe magiſter
Nutat ab arce ratis, remiſque obſiſtere tendit.
Inſtaurant primi certamina, liber amictu
Eurytus, & dictis Talai non territus Idas:
Inde alii increpitant, atque æquora pectore tollunt.
Par gemitu pulſuque labor: verſumque viciſſim
Mittitur in puppim remo mare. lætus & ipſe
Alcides: Quiſnam hos vocat in certamina fluctus?
Dixit; &, intortis aſſurgens arduus undis,
Percuſſit ſubito deceptum fragmine pectus:
Atque in terga ruens, Talaum, fortemque Eribotem,
Et longe tantæ ſecurum Amphiona molis
Obruit; inque tuo poſuit caput, Iphite, tranſtro.
Jam ſummas cœli Phœbus candentior arces
Vicerat, & longas medius revocaverat umbras.
Tardior hinc ceſſante viro, quæ proxima Tiphys
Litora, quoſque dabat denſos trabe Myſia montes,
Advehitur. petit excelſas Tirynthius ornos:
Hæret Hylas lateri, paſſuſque moratur iniquos.
Illum ubi Juno, poli ſummo de vertice, puppim
Deſeruiſſe videt; tempus rata Diva nocendi,
Pallada conſortem curis curſuſque regentem
(Ne qua inde inceptis fieret mora) fallere prima
Molitur; caroque dolis avertere fratri.
Tunc ſic alloquitur: Procerum vi pulſus iniqua
Germanique manu (repetis, quo crimine) Perſes,
Barbaricas jam movit opes Hyrcanaque ſigna:
Æetes contra thalamis & virgine pacta
Conciliat reges Scythicos; primuſque coacta

Advehit Albana Styrus gener agmina porta.
Bellum ingens: atque ipſe citis Gradivus habenis
Fundit equos. viden' Arctoo de carcere quanta
Tollat ſe nubes, atque æquore pendeat atro?
Corripe prima vias; finem cum Phaſidis alti
Tranſierit Perſes, aciemque admoverit urbi,
Cœpta refer; paulumque nefas & fœdera necte;
Conſiliis atque arte tua. ſponde, affore reges
Dîs genitos, quîs arma volens, quîs agmina jungat.
At virgo, quanquam inſidias æſtuſque novercæ
Sentiat, & blandos quærentem fingere vultus,
Obſequitur tamen, & juſſas petit ocius oras.
Ingemuit Juno, tandemque ſilentia rumpit:
En labor, en odiis capnt inſuperabile noſtris.
Quam Nemeen tot feſſa minis, quæ prœlia Lernæ
Experiar? Phrygiis ultro concurrere monſtris
Nempe virum, & pulchro referantem Pergama ponto
Vidimus. en ego nunc regum ſoror: & mihi gentis
Ullus honos? jam tum indecores, juſtæque dolorum
Primitiæ, & tenero ſuperati protinus angues.
Debueram nullos juveni jam quærere caſus,
Victa nec ad tales forſan deſcendere pugnas:
Verum animis inſiſte tuis; aſtumque per omnem
Tende pudor: mox & Furias Ditemque movebo.
Hæc ait; & pariter lævi juga pinea montis
Reſpicit, ac pulchro venantes agmine Nymphas,
Undarum nemorumque decus. levis omnibus arcus,
Et manicæ virides, & ſtricta myrtus habena;
Summo palla genu; tenui vagus innatat unda
Crinis, ad obſcuræ decurrens cingula mammæ.

Ipſa citatarum tellus pede plauſa ſororum
Perſonat; & teneris ſubmittit gramina plantis.
E quibus Herculeo Dryope percuſſa fragore,
Cum fugerent jam tela feræ, proceſſerat ultra
Turbatum viſura nemus; fontemque petebat
Rurſus, & attonitos referebat ab Hercule vultus.
Hanc delapſa polo, piceæque acclinis opacæ
Juno vocat, prenſaque manu ſic blanda profatur:
Quem tibi conjugio tot dedignata dicavi
Nympha procos, en Hæmonia puer appulit alno,
Clarus Hylas; ſaltuſque tuos, fonteſque pererrat.
Vidiſti, roſeis hæc per loca Bacchus habenis
Cum domitas acies, & Eoi fercula regni
Duceret: ac rurſus thiaſos & ſacra moventem
Hunc tibi, vel poſito venantem pectine Phœbum,
Crede dari. quæ ſpes Nymphis aufertur Achæis!
Præreptum quanto proles Bœbeïa queſtu
Audiet, & flavi quam triſtis nata Lycormæ!
Sic ait; & celerem frondoſa per avia cervum
Suſcitat; ac juveni ſublimem cornibus offert.
Ille animos tarduſque fugæ longumque reſiſtens
Sollicitat, ſuadetque pari contendere curſu.
Credit Hylas; prædæque ferox ardore propinquæ
Inſequitur: ſimul Alcides hortatibus urget
Proſpiciens: jamque ex oculis aufertur uterque.
Cum puerum inſtantem quadrupes, feſſaque minantem
Tela manu, procul ad nitidi ſpiracula fontis
Ducit, & intactas levis ipſe ſuperfugit undas.
Hoc pueri ſpes luſa modo eſt, nec tendere certat
Amplius: utque artus & concita pectora ſudor

Diluerat, gratos avidus procumbit ad amnes.
Stagna vaga ſic luce micant, ubi Cynthia cœlo
Proſpicit, aut medii tranſit rota candida Phœbi:
Tale jubar diffundit aquis; nil umbra, comæque,
Turbavitque ſonus ſurgentis ad oſcula Nymphæ.
Illa avidas injecta manus, heu ſera cientem
Auxilia, & magni referentem nomen amici,
Detrahit: adjutæ prono nam pondere vires.
Jam pater umbroſis Tirynthius arcibus ornos
Depulerat, magnoque jugi ſtridore revulſas
Terga ſuper fulvi porrexerat horrida monſtri,
Litora curva petens: alio nam calle reverſum
Credit Hylan, captaque dapes auxiſſe ferina.
Sed neque apud ſocios, ſtructaſque in litore menſas
Unanimum videt æger Hylan; nec longius acrem
Intendens aciem. varios hinc excitat æſtus,
Nube mali percuſſus amor: quibus hæſerit oris;
Quis tales impune moras caſuſve laborve
Attulerit: denſam interea deſcendere noctem
Jam majore metu: tum vero & pallor & amens
Cum piceo ſudore rigor. ceu pectora nautis
Congelat hiberni vultus Jovis agricoliſve,
Cum coit umbra minax: comitis ſic afficit error
Alciden, ſævæque monet meminiſſe novercæ.
Continuo, volucri ceu pectora tactus aſylo,
Emicuit Calabris taurus per confraga ſeptis,
Obvia quæque ruens: tali ſe concitat ardens
In juga ſenta ſuga. pavet omnis conſcia late
Silva; pavent montes; luctu ſuccenſus acerbo
Quid ſtruat Alcides, tantaque quid apparet ira.

Ille, velut refugi quem contigit improba Mauri
Lancea, ſanguineus vaſto leo murmure fertur,
Frangit & abſentem vacuis ſub dentibus hoſtem;
Sic Furiis accenſa gerens Tirynthius ora
Fertur; & intento decurrit montibus arcu.
Heu miſeræ, quibus ille, feræ, quibus incidit uſquam
Immeritis per luſtra viris! volat ordine nullo
Cuncta petens; nunc ad ripas, dejectaque ſaxis
Flumina; nunc notas nemorum procurrit ad umbras:
Rurſus Hylan, & rurſus Hylan per longa reclamat
Avia: reſponſant ſilvæ, & vaga certat imago.
At ſociis immota fides, auſtriſque ſecundis
Certa moræ: nec parvus Hylas: quanquam omnibus æque
Grata rudimenta, Herculeo ſub nomine pendent.
Illum omnes lacrimis, mœſtiſque repoſcere votis;
Incertique metu, nunc longas litore voces
Spargere; nunc feris oſtendere noctibus ignes.
Ipſe, vel excelſi cum denſa ſilentia montis,
Strata vel oblactis ductor videt æquora ventis,
Stat lacrimans; magnoque viri cunctatur amore.
Illius inceſſus, habilemque ad terga pharetram,
Illum inter proceres, mœſtæque ſilentia menſæ
Quærit inops, quondam ingenti comprenſa trahentem
Vina manu, & duræ referentem monſtra novercæ:
Nec minus interea crudelis Iapyga Juno
Aſſidue movet, & primis cum ſolibus offert.
Jamque moræ impatiens, cunctantes increpat auſus
Tiphys; & oblato monet otia rumpere curſu.
Ergo animum flexus dictis inſtantis Iaſon
Concedit; ſocioſque ſimul ſic fatur ad omnes:

O utinam, Scythicis ſtruerem cum funera terris,
Vox mihi mentitas tulerit Parnaſia ſortes;
Agmine de tanto, ſocius qui maximus armis
Afforet, hunc Jovis imperiis fatoque teneri,
Ante procelloſum ſcopulis errantibus æquor.
Nec dum fama viri, nec certior exſtitit auctor.
Verum agite, & dubiis variant quia pectora curis,
Conſulite: &, motis ſeu vos via flatibus urget,
Pergite, & inceptos mecum revocate labores:
Seu plures tolerare moras, rurſuſque propinquis
Quæſiviſſe jugis; pretium haud leve temporis acti.
Dixerat; & ſtudiis jamdudum freta juventus
Orat inire vias: unum tanto afore cœtu;
Nec minus in ſeſe generis, dextraſque potentes
Eſſe ferunt. tali mentem pars maxima flatu
Erigit, & vana gliſcunt præcordia lingua.
Saltibus ut mediis tum demum læta reducit
Cerva gregem; tum geſtit aper, reboatque ſuperbis
Comminus urſa lupis; cum ſeſe Martia tigris
Abſtulit, aut curvo tacitus leo condidit antro.
At pius ingenti Telamon jam fluctuat ira
Cum fremitu, ſæviſque furens in jurgia dictis
Inſequitur, magnoque implorat numina queſtu.
Idem orans prenſatque viros, demiſſaque ſupplex
Hæret ad ora ducis; nil ſe ſuper Hercule fari,
Sed ſocio quocunque gemens: quanquam aſpera fama,
Jam loca, jamque feras per barbara litora gentes,
Non alium contra Alciden, non pectora tanta
Poſſe dari. rurſum inſtimulat, ducitque faventes
Magnanimus Calydone ſatus: potioribus ille

Deteriora fovens, ſemperque inverſa tueri
Durus, & haud ullis unquam ſuperabilis æquis,
Rectorumve memor, Non Herculis, inquit, ademti;
Sed tuus in ſeros hæc noſtra ſilentia queſtus
Traxit honor; dum jura dares, dum tempora fandi.
Septimus hic celſis deſcendit montibus auſter,
Jamque ratem Scythicis forſan ſtatuiſſet in oris;
Non patriæ immemores, maneant ceu nulla revectos
Gaudia, ſed duro ſævæ ſub rege Mycenæ,
Ad medium cunctamur iter. ſi finibus ullis
Has tolerare moras, & inania tempora poſſem;
Regna hodie, & dulcem ſceptris Calydona tenerem,
Lætus opum paciſque meæ: tutuſque manerem,
Quìs genitor materque, locis. quid deſide terra
Hæremus? vacuos cur laſſant æquora viſus?
Tun' comitem Alciden ad Phaſidis amplius arva
Affore, tu ſocias ultra tibi rere pharetras?
Non ea fax odiis; oblitaque numine feſſo
Juno ſui. nova Tartareo, fors, ſemine monſtra;
Atque iterum Inachiis jam nuntius urget ab Argis.
Non datur hæc magni proles Jovis; at tibi Pollux
Stirpe pares Caſtorque manent, at cetera Divûm
Progenies: nec parva mihi fiducia gentis.
Aſt egomet quocunque voces, qua tegmina ferro
Plura metam; tibi dicta manus, tibi quidquid in ipſo
Sanguine erit: jamque hinc, operum quæ maxima, poſco.
Scilicet in ſolis profugi ſtetit Herculis armis
Noſtra ſalus? nempe ora æque mortalia cuncti
Ecce gerunt: ibunt æquo nempe ordine remi.
Ille, vel inſano jamdudum turbidus æſtu,

Vel parta jam laude tumens, conſortia famæ
Deſpicit, ac noſtris ferri comes abnuit actis.
Vos, quibus & virtus, & ſpes in limine primo;
Tendite; dum rerum patiens calor, & rude membris
Robur ineſt: nec enim ſolis dare funera Colchis
Sit ſatis, & tota pelagus luſtraſſe juventa.
Spes mihi, quæ tali potuit longiſſima caſu
Eſſe, fuit: quiſcunque virum perquirere ſilvis
Egit amor: loca vociferans non ulla reliqui.
Nunc quoque, dum vario nutat ſententia motu,
Cernere devexis redeuntem montibus opto.
Sat lacrimis comitique datum; quem fortibus ævi
Crede, vel in mediæ raptum tibi ſanguine pugnæ.
Talibus Œnides urget. ſimul incita dictis
Heroum manus. ante omnes Argoa jubebat
Vincla rapi Calais. furias miratur ovantum
Æacides: multuſque viri cunctantia corda
Fert dolor; an ſeſe comitem tam triſtibus actis
Abneget, & celſi mœrens petat ardua montis.
Non tamen & gemitus, & inanes deſinit iras
Fundere: Quis terris, pro Juppiter, inquit, Achæis
Iſte dies! ſævi capient quæ gaudia Colchi!
Non hi tum flatus, non iſta ſuperbia dictis,
Litore cum patrio, jam vela petentibus auſtris,
Cunctus ad Alciden verſus favor. ipſe juvaret,
Ipſe ducis curas, meritoſque ſubiret honores.
Jamne animis, jam gente pares, atque inclita vulgi
Dextera? nulla fides, nulli ſuper Hercule fletus?
Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles,
Aſpera nunc pavidos contra ruit agna leones?

Digitized by Google

Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis haſtam,
Quæ neque jam frondes, virides nec proferet umbras,
Ut ſemel eſt evulſa jugis, ac matre peremta
Fida miniſteria, & duras obit horrida pugnas,
Teſtor: & hoc omni, ductor, tibi numine firmo:
Sæpe metu, ſæpe in tenui diſcrimine rerum,
Herculeas jam ſerus opes, ſpretique vocabis
Arma viri: nec nos tumida hæc tum dicta juvabunt.
Talibus Æacides ſocios terroribus urgens
Illacrimat; multaque comas deformat arena.
Fata trahunt: raptuſque virûm certamine ductor
Ibat, & obtenta mulcebat lumina palla.
Hic vero ingenti repetuntur pectora luctu:
Ut ſocii ſedere locis, nullæque leonis
Exuviæ; tantique vacant veſtigia tranſtri:
Flet pius Æacides: mœrent Pæantia corda:
Ingemit & dulci frater cum Caſtore Pollux.
Omnis adhuc vocat Alciden, fugiente carina,
Omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto.
Dat procul interea toto pater æquore ſignum
Phorcys; & immanes intorto murice phocas
Contrahit antra petens: ſimul & Maſſylus, & una
Lyctius, & Calabris redit armentarius arvis.
Illicet extremi nox litore Solis Hiberas
Condidit alta domos, & ſidera ſuſtulit aſtris.
Flamina conticuere; jacet ſine fluctibus æquor.
Amphitryoniades, nec quæ nova luſtra requirat,
Nec quo tentet iter, comitis nec fata peremti
Quæ referat, videt, aut ſocios qua mente reviſat.
Urit amor, ſoliſque negat decedere ſilvis.

Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtæ
* Terga dedit; ſedet inde viis: incluſaque longo
* Pervigilant caſtella metu: dolor attrahit orbes
Interea, & miſero manat juba ſordida luctu.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER QUARTUS.

Digitized by Google

LIBRI QUARTI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

ÆTHERIS Herculeos rector miſeratus amores
Increpat uxorem. curis ſomnoque ſepultum
Alciden ſolatur Hylas: juſtiſque Deorum
Juppiter evictus precibus Titania ſolvi
Vincla jubet. Phrygii differt perjuria regis
Alcides. ſævo Bithynia rege tumeſcens
Remigio petitur. nati percuſſus amore
Majores, Neptune, gemis ſuccedere vires.
Crudo Tyndarides dat leto Bebryca cæſtu.
Harpyias juvenes pellunt. oracula pandit
Fatidicus Phineus. ſurgunt Symplegades. Argo
Evolat: inde Lyci victrix ad litora tendit.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER IV.

Atque ea non oculis Divûm pater amplius æquis
Suſtinuit; natique pios miſeratus amores,
Junonem ardenti trepidam gravis increpat ira:
Ut nova nunc tacito ſub pectore gaudia tollunt!
Hæret inops, ſoliſque furit Tirynthius oris.
At comite immemores Minyæ facileſque relicto
Alta tenent: ſic Juno ducem fovet anxia curis
Æſonium, ſic arma, viros, ſocioſque miniſtrat.
Jam, quibus incertam bellis, Scythicæque paventem
Gentis opes, quanta trepidam formidine cernam!
Tum precibus, tum me lacrimis, & ſupplice dextra
Attentare veto: rerum mihi firma poteſtas.
I, Furias Veneremque move: dabit impia pœnas
Virgo, nec Æetæ gemitus patiemur inultos.
Dixit, & arcano redolentem nectare rorem,
Quem penes alta quies, liquidique potentia ſomni,

Digitized by Google

Detulit, inque vagi libavit tempora nati.
Ille graves oculos & Hylan reſonantia ſemper
Ora ferens, ut nulla Deum ſuperare poteſtas,
Procumbit. tandem feſſis pax reddita ſilvis:
Fluminaque, & vacuis auditæ montibus auræ.
Ecce, puer ſumma ſe tollere viſus ab unda
Frondibus in croceis, & iniquæ munere Nymphæ;
Stanſque ſuper carum tales caput edere voces:
Quid, pater, in vanos abſumis tempora queſtus?
Hoc nemus, hæc fatis mihi jam domus: improba quo me
Nympha rapit, ſævæ monitu Junonis: inanes
Nunc Jovis acceſſus, & jam mihi limina cœli
Conciliat: jungitque preces & fontis honores.
O dolor! o dulces, quas geſſimus ante, pharetræ!
Jam ſocii lætis rapuerunt vincula ventis,
Hortator poſtquam furiis & voce nefanda
Impulit Œnides. verum cum gente domoque
Iſta luet; ſævæque aderunt tua numina matri.
Surge, age, & in duris haud unquam defice; cœlo
Mox aderis; teque aſtra ferent: tu ſemper amoris
Sis memor, & cari comitis ne abſcedat imago.
Talibus orantem dictis, viſuque fruentem,
Ille ultro petit, & vacuis amplexibus inſtat;
Languentiſque movet fruſtra conamina dextræ.
Corpus hebet ſomno, refugaque eluditur umbra;
Tum lacrimis, tum voce ſequi; tum rumpere queſtus;
Cum ſopor & vano ſpes mœſta reſolvitur actu.
Fluctus ab undiſoni ceu forte crepidine ſaxi
Cum rapit Halcyones miſeræ fœtumque laremque,
It ſuper ægra parens, queriturque tumentibus undis,

Certa ſequi, quocunque ferant; audetque, pavetque;
Iſta fatiſcit aquis donec domus, hauſtaque fluctu eſt:
Illa dolens vocem dedit, & ſe ſuſtulit alis.
Haud aliter ſomni mœſtus labor. exſilit amens,
Effuſiſque genas lacrimis rigat: Ibimus, inquit;
Solos & hos montes deſertaque luſtra tenebis,
Care puer? nec res ultra mirabere noſtras?
Hæc fatus relegitque vias, & vallibus exit,
Incertus quid Juno ferat, quas apparet iras.
Nec minus & ſocios cernit procul æquore ferri
Præcipites; tacitumque pudet potuiſſe relinqui.
Jamque iter ad Teucros, atque hoſpita mœnia Trojæ
Flexerat; Iliaci repetens promiſſa tyranni:
Cum mœſto Latona ſimul Dianaque vultu
Ante Jovem ſtetit; & ſupplex ſic fatur Apollo:
In quem alium Alciden, in quæ jam tempora differs
Caucaſium, rex magne, ſenem? nullumne malorum
Finem adeo pœnæque dabis? te cuncta precantur
Gens hominum; atque ipſi jam te, pater optime, montes,
Feſſaque cum ſilvis orant juga. ſat tibi furtum
Ignis, & ætheriæ defenſa ſilentia menſæ.
* Exit ubi e ſcopulis, media inter pabula diri
Vulturis; ipſum etiam gemitu mœſtaque fatigat
Voce Jovem, ſævis relevans ambuſta pruinis
Lumina: congeminant amnes rupeſque fragorem
Caucaſiæ: ſtupet ipſe Dei clamoribus ales.
Tunc etiam ſuperas Acheronte auditur ad arces
Iapetus gravis: orantem procul arcet Erinnys,
Reſpiciens celſi legem Jovis: ille, Dearum
Fletibus & magno Phœbi commotus honore,

Velocem roſeis demittit nubibus Irim:
I, Phrygas Alcides, & Trojæ differat arma!
Hunc, ait, eripiat diræ Titana volucri.
Diva volat, deſertque viro celeranda parentis
Imperia, atque alacrem lætis hortatibus implet.
Jam Minyæ mediis claræ per ſidera noctis
Fluctibus intulerant placido cava lintea curſu;
Multaque deſerto memores ſuper Hercule volvunt.
Thracius at ſumma ſociis e puppe ſacerdos,
Fata Deûm, & miſeræ ſolans incommoda vitæ,
Securum numeris agit & medicabile carmen:
Quo ſimul aſſumta pulſus fide luctus, & iræ,
Et labor, & dulces cedunt e pectore nati.
Interea, magni jam jam ſubeuntibus aſtris
Oceani genitale caput, Titania frenis
Antra ſonant: Sol auricomus, cingentibus Horis,
Multifidum jubar & biſſeno ſidere textam
Loricam induitur: ligat hanc, qui nubila contra
Balteus undantem variat mortalibus arcum.
Inde ſuper terras & Eoi cornua montis
Emicuit, traxitque diem candentibus undis:
Et Minyas viſo liquerunt flamina Phœbo.
Proxima Bebrycii panduntur litora regni,
Pingue ſolum, & duris regio non invida tauris.
Rex Amycus. regis fatis & numine freti
Non muris cinxere domos; non fœdera legum
Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.
Quales Ætnæis rabidi Cyclopes in antris
Nocte ſub hiberna ſervant freta; ſicubi ſævis
Advectet ratis acta Notis tibi pabula dira,

Et miſeras, Polypheme, dapes: ſic undique in omnes
Proſpiciunt, curſantque vias, qui corpora regi
Capta trahant. ea Neptuno trux ipſe parenti
Sacrifici pro rupe jugi, media æquora ſupra,
Torquet agens. ſin forma viris præſtantior adſit;
Tum legere arma jubet, ſumtiſque occurrere contra
Cæſtibus. hæc miſeri ſors eſt æquiſſima leti.
Huc ubi deveĉtam Neptunus gurgite puppim
Senſit; & extremum nati proſpexit in oras,
Et quondam lætos domini certamine campos;
Ingemit, ac tales evolvit pectore queſtus:
Infelix, imas quondam mihi rapta ſub undas,
Nec potius magno, Melie, tum mixta Tonanti:
Uſque adeone meam quacunque ab origine prolem
Triſtia fata manent? ſic te olim pergere ſenſi,
Juppiter, injuſtæ quando mihi virginis armis
Concidit infelix, & nunc chaos implet, Orion.
Nec tibi tunc virtus, aut det fiducia noſtri,
Nate, animos: opibuſque ultra ne crede paternis.
Jam jam aliæ vires majoraque ſanguine noſtro
Vincunt fata Jovis; potior cui cura ſuorum eſt.
Atque adeo, neque ego hanc motis avertere ventis
Tentavi, tenuive ratem: nec jam mora morti
Hinc erit ulla tuæ: reges preme, dure, ſecundos.
Abſtulit inde oculos, natumque & triſtia linquens
Prœlia, ſanguineo terras pater alluit æſtu.
Principio fluvios, gentemque, & litora duĉtor
Explorare jubet: paulumque egreſſus Echion,
Invenit obſcura gemitus in valle trahentem
Clam juvenem, & cæſi mœrentem nomen amici.

Digitized by Google

Ille, virum ut contra venientem, umbrataque vidit
Tempora Parrhaſio patris de more galero,
Paciferæque manu nequidquam inſignia virgæ,
Heu fuge, ait, certo quicunque es, perdite, paſſu,
Dum datur. obſtupuit viſu Nonacria proles,
Quid ferat admirans. poſtquam remeare monentem
Ocius, & dictis perſtantem cernit in iſdem;
Abripit, & ſociis, quæ ſint ea, promere cogit.
Ille manum tendens, Non hæc, ait, hoſpita vobis
Terra, viri; non hic ullos reverentia ritus
Pectora: mors habitat, ſævæque hoc litore pugnæ.
Jam veniet diros Amycus qui tollere cæſtus
Imperet, & vaſto qui vertice nubila pulſet.
Talis in advectos Neptuni credita proles
Æternum furit: atque æquæ virtutis egentes,
Ceu Superûm ſegnes ad iniqua altaria tauros,
Conſtituit, tandem ut miſero lavet arma cerebro.
Conſulite, atque fugæ medium ne temnite tempus.
Namque iſti fruſtra quiſnam concurrere monſtro
Audeat? & quænam talem vidiſſe voluptas?
Ductor ad hæc: Bebryxne venis, diverſaque regi
Corda gerens? (melior vulgi nam ſæpe voluntas)
Hoſtis an externis fato delatus ab oris?
Et tua cur Amycus cæſtu nondum obruit ora?
Nomen, ait, prædulce mihi, nomenque ſecutus
Otreos unanimi: decus ille, & læta ſuorum
Gloria, nec veſtros comes aſpernandus in actus,
Heſionam & Phrygiæ peteret cum gaudia nuptæ,
Hic Amycum contra juſſus ſtetit: atque ego palmas
Implicui: ſed prima procul vix dum ora levantis

Fulminea frontem dextra disjectaque fudit
Lumina, me nunquam leto dignatus & armis.
Sed lacrimis potius luctuque abſumor inerti.
Spes tamen, his fando ſi nuntius exſtitit oris;
Et Mariandynûm patrias penetravit ad urbes,
Unde genus fraterque viro: ſed & ille quierit
Oro; nec a vanis cladem Lycus augeat armis.
Hæc ubi non ulla juvenes formidine moti
Accipiunt: dolor & duras inſurgere mentes,
Terga ſequi, properoſque jubet conjungere greſſus.
Litore in extremo ſpelunca apparuit ingens,
Arboribus ſuper & dorſo contecta minanti;
Non quæ dona Deûm, non quæ trahat ætheris ignem;
Infelix domus, & ſonitu tremebunda profundi;
Et varii pro rupe metus: hinc trunca rotatis
Brachia rapta viris, ſtrictoque immortua cæſtu,
Oſſaque tætra ſitu, & capitum mœſtiſſimus ordo.
Reſpicias, quibus adverſo ſub vulnere nulla
Jam facies, nec nomen erat: media ipſius arma
Sacra metu, magnique aris impoſta parentis.
Hoſpitis hic primum monitus rediere Timantis;
Et pavor, & monſtri ſubiit abſentis imago:
Atque oculos cuncti inter ſe tenuere ſilentes.
Donec ſidereo Pollux interritus ore,
Te tamen hac, quicunque es, ait, formidine ſaxo
Jam tua ſilva ferat; modo ſint tibi ſanguis & artus.
Omnibus idem animus forti decernere pugna;
Exoptantque virum, contraque occurrere poſcunt.
Qualiter ignotis ſpumantem funditus amnem
Taurus aquis qui primus init, ſpernitque tumentem,

Pandit iter: mox omne pecus formidine pulſa
Pone ſubit: jamque & mediis præcedit ab undis.
At procul e ſilvis ſeſe gregibuſque ferebat
Sævus in antra gigas: quem nec ſua turba tuendo
It tanti ſecura metus. mortalia nuſquam
Signa manent: inſtar ſcopuli, qui montibus altis
Summus abit, longeque jugo ſtat ſolus ab omni.
Devolat inde furens; nec, quo via, curve profecti,
Nec genus ante rogat; ſed tali protonat ira:
Incipite, o juvenes. etenim fiducia, credo,
Huc tulit; auditas & ſponte laceſſitis oras.
Sin errore viæ, nec dum mens gnara locorum;
Hic mihi lex, cæſtus adverſaque tollere contra
Brachia. ſic ingens Aſiæ plaga, quique per Arcton
Dexter & in lævum Pontus jacet, hæc mea viſat
Hoſpitia: hoc cuncti remeent certamine reges.
Neptuni domus, atque egomet Neptunia proles.
Jam pridem cæſtus reſides, & frigida raris
Dentibus aret humus. qui mecum fœdera junget
Prima manu? cui dona fero? mox omnibus idem
Ibit honos. fuga ſub terras, fuga nulla per auras.
Nec lacrimæ, nec forte preces, ſuperive vocati
Pectora noſtra movent: aliis rex Juppiter oris.
Faxo Bebrycium nequeat tranſcendere puppis
Ulla fretum, & ponto volitet Symplegas inani.
Talia dicta dabat: cum protinus aſper Iaſon,
Et ſimul Æacidæ, ſimul & Calydonis alumni,
Nelideſque, Idaſque prior, quæ maxima ſurgunt
Nomina: ſed nudo ſteterat jam pectore Pollux.
Cum pavor, & gelidus defixit Caſtora ſanguis.

Nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis;
Nec ſpnat Œbalius caveæ favor, aut juga nota
Taygeti; lavitur patrios ubi victor ad amnes:
Nec pretium ſonipes, aut ſacræ taurus arenæ;
Præmia ſed manes, recluſaque janua leti.
Illum Amycus, nec fronte trucem, nec mole tremendum,
Vixdum etiam primæ ſpargentem ſigna juventæ,
Ore renidenti luſtrans obit; & fremit auſum:
Sanguineoſque rotat furiis ardentibus orbes.
Non aliter jam regna poli, jam capta Tiphœus
Aſtra ferens, Bacchum ante acies, primamque Deorum
Pallada, & oppoſitos doluit ſibi virginis angues.
Sic adeo inſequitur, rabidoque ita murmure terret:
Quiſquis es, infelix celera puer: haud tibi pulchræ
Manſerit hoc ultra frontis decus; orave matri
Nota feres. tune e ſociis electus iniquis?
Tune Amyci moriere manu? nec plura moratus;
Ingentes humeros ſpatioſaque pectoris oſſa
Protulit, horrendoſque toris informibus artus.
Deficiunt viſu Minyæ: miratur & ipſe
Tyndarides: redit Alcidæ jam ſera cupido:
Et vacuos mœſto luſtrarunt lumine montes.
At ſatus æquoreo fatur tunc talia rege:
Aſpice & hæc crudis durata volumina tauris,
Nec pete ſortis opem; ſed, quos potes, indue cæſtus.
Dixit, & urgentis poſt ſera piacula fati
Neſcius, extremum hoc, armis innectere palmas
Dat famulis: dat & inde Lacon. odia aſpera ſurgunt
Ignotis prius; atque incenſa mente feruntur
In medium ſanguis Jovis & Neptunia proles.

Bibliothek MÜNCHEN

Hinc illinc dubiis intenta ſilentia votis.
Et pater orantes cæſorum Tartarus umbras
Nube cava tandem ad meritæ ſpectacula pugnæ
Emittit: ſummi nigreſcunt culmina montis.
Continuo Bebryx, Maleæ velut arce frago'ſa
Turbo rapax, vix ora virum, vix tollere paſſus
Brachia, torrenti præceps agit undique nimbo,
Curſibus involvens: totaque immanis arena
Inſequitur. vigil ille metu, cum pectore & armis
Huc alternus & huc, ſemper cervice reducta,
Semper & in digitis, & ſummi pulvere campi,
Projectuſque redit, ſpumanti qualis in alto
Pliade capta ratis, trepidi quam ſola magiſtri
Cura tenet, rapidum ventis certantibus æquor
Intemerata ſecat. Pollux ſic providus ictus
Servat, & Œbalia dubium caput eripit arte.
Ut deinde urgentes effudit nubibus iras
Ardoremque viri, paulatim inſurgere feſſo
Integer, & ſummos manibus deducere cæſtus.
Ille dies ægros Amyci ſudoribus artus
Primus, & arenti cunctantem vidit hiatu.
Nec ſua defeſſum noſcunt loca, nec ſua regem
Agmina: reſpirant ambo, paulumque reponunt
Brachia, ceu Lapithas aut Pæonas æquore in ipſo
Dum refovet, fixaque ſilet Gradivus in haſta.
Vix ſteterant, & jam ecce ruunt: inflictaque late
Terga ſonant: nova vis iterum, nova corpora ſurgunt.
Hunc pudor, hunc noto jam ſpes audentior hoſte
Inſtimulat. fumant crebro præcordia pulſu.
Avia reſponſant gemitu juga. pervigil ut cum

Artificum notat ipſe manus, & fulmina Cyclôps
Profubigit; pulſis ſtrepitant incudibus urbes.
Emicat hic, dextramque parat, dextramque minatur
Tyndarides. redit huc oculis & pondere Bebryx
Sic ratus: ille autem celeri rapit ora ſiniſtra.
Conclamant ſocii, & ſubitas dant gaudia voces.
Illum inſperata turbatum fraude, furentemque
Œbalides prima refugit, dum detonet, ira,
Territus ipſe etiam, atque ingentis conſcius auſi.
Sævit inops Amycus, nullo diſcrimine ſeſe
Præcipitans; avidúſque viri (reſpectat ovantes
Quippe procul Minyas) cæſtu velatus utroque
Irruit. hos inter Pollux ſubit, & trucis ultro
Advolat ora viri: nec ſpes effœta; ſed ambæ
In pectus cecidere manus. hoc ſævior ille,
Ecce iterum vacuas agit inconſulta per auras
Brachia. ſentit enim Pollux rationis egentem:
Dat genibus junctis latus, effuſumque ſecutus
Haud revocare gradus patitur: turbatque, premitque
Ancipitem; crebros & liber congerit ictus
Deſuper averſo: ſonat omni vulnere vertex
Inclinis, ceditque malis. jam tempora manant,
Sanguineæque latent aures: vitalia donec
Vincula, qua primo cervix committitur artu,
Solvit dextra gravis. labentem propulit heros,
Ac ſuper inſiſtens, Pollux ego miſſus Amyclis,
Et Jove natus, ait; nomen mirantibus umbris
Hoc referes; ſic & memori noſcere ſepulcro.
Bebrycas extemplo ſpargit fuga: nullus ademti
Regis amor: montem celeres ſilvamque capeſſunt.

Hæc ſors, hæc Amycum tandem manus arguit auſi,
Effera ſervantem Ponti loca; vimque juventæ
Continuam, & magni ſperantem tempora patris.
Tenditur ille ingens hominum pavor, arvaque late
Occupat. annoſi veluti ſi decidat olim
Pars Erycis, vel totus Athos. qua mole jacentis
Ipſe etiam expleri victor nequit; oraque longo
Comminus obtutu mirans tenet. at manus omnis
Heroum denſis certatim amplexibus urgent:
Armaque ferre juvat, feſſaſque attollere palmas.
Salve vera Jovis, vera o Jovis, undique, proles,
Ingeminant: o magnanimis memoranda palæſtris
Taygeta, & primi felix labor ille magiſtri!
Dumque ea dicta ferunt; tenues tamen ire cruores
Siderea de fronte vident. nec ſanguine Pollux
Territus, averſo ſiccabat vulnera cæſtu.
Illius excelſum ramis caput, armaque Caſtor
Implicat, & viridi connectit tempora lauro:
Reſpicienſque ratem, Patriis, ait, has precor oris,
Diva, refer frondes, cumque hac freta curre corona.
Dixerat. hinc valida cædunt armenta bipenni;
Perfuſique ſacro placati gurgitis amne
Graminea ſternuntur humo: tunc liba dapeſque
Frondibus accumulant: exſortia terga Laconi
Præcipiunt pecudum. toto mox tempore menſæ
Lætus ovat nunc laude virûm, nunc vatis honoro
Carmine, victori geminans cratera parenti.
Jamque dies auræque vocant: rurſuſque capeſſunt
Æquora, qua rigidos eructat Boſporos amnes.
Illos, Nile, tuis nondum Dea gentibus Io

Tranſierat fluctus; unde hæc data nomina ponto.
Tum pius Œagri claro de ſanguine vates,
Admonita genetrice, refert caſusque locorum,
Inachidoſque vias, pelaguſque emenſa juvencæ
Exſilia; intentiſque canit: Videre priores
Sæpe Jovem, terras Argivaque regna Pelaſgûm
Virginis Iaſiæ blandos deſcendere ad ignes.
Sentit Iuno dolos, curaque accenſa jugali
Æthere deſiluit: dominam Lyrceïa tellus,
Antraque deprenſæ tremuerunt conſcia culpæ.
Cum trepida Inachiæ pellex ſubit ora juvencæ,
Sponte Dei: plauſu fovet hanc, & pectora mulcet
Juno, renidenti cohibens ſuſpiria vultu.
Mox ita adorta Jovem: Da, quam modo ditibus Argis
Campus alit, primæ referentem cornua Phœbes,
Indomitamque bovem, da caræ munera nuptæ.
Ipſa ego dilectæ pecudi jam paſcua digna,
Præcipuoſque legam fontes. qua fraude negaret,
Aut quos inventos timuiſſet Juppiter aſtus?
Muneris illa potens cuſtodem protinus Argum
Adjungit: cuſtos Argus placet: inſcia ſomni
Lumina non aliter lucent cui vertice, quam ſi
Lyda nurus ſparſo telas maculaverit oſtro.
Argus & in ſcopulos, & monſtris horrida luſtra,
Ignotas jubet ire vias; heu multa morantem,
Conantemque preces incluſaque pectore verba.
Ultima tum patriæ cedens dedit oſcula ripæ.
Flevit Amymone, flerunt Meſſeides undæ,
Flevit & effuſis revocans Hyperia lacertis.
Illa, ubi vel feſſi tremerent erroribus artus,

Vel rueret ſummo jam frigidus æthere veſper,
Heu quoties ſaxo poſuit latus! aut ubi longa
Ægra ſiti; quos ore lacus, quæ pabula carpſit!
Verbere candentes quoties exhorruit armos!
Quin & ab excelſo meditantem vertice ſaltus,
Audentemque mori, valles citus egit in imas
Argus; & arbitrio durus ſervavit herili.
Cum ſubito Arcadio ſonuit cava fiſtula ritu;
Imperiumque patris celerans Cyllenius ales
Advenit, & leni modulatur carmen avena.
Quoque, ait, hinc diverſus abis? heu reſpice cantus.
Haud procul inſectans Argum, languentia ſomno
Lumina cuncta notat, dulceſque ſequentia ſomnos:
Et celerem mediis in cantibus exigit harpen.
Jamque refecta Jovi, paulatim in imagine priſca
Ibat agris Io victrix Junonis; & ecce
Cum facibus ſpiriſque & Tartareo ululatu
Tiſiphonen videt: ac primo veſtigia viſu
Figit; & in miſeræ rurſus bovis ora recurrit;
Nec qua valle memor, nec quo ſe vertice ſiſtat.
Inachias errore etiam defertur ad undas,
Qualis, & a prima quantum mutata juvenca!
Nec pater, aut trepidæ tentant accedere Nymphæ.
Ergo iterum ſilvas, iterum petit invia retro,
Ceu Styga, dilectum fugiens caput: inde per urbes
Raptatur Grajas, atque ardua flumina ripis:
Oblato donec paulum cunctata profundo
Incidit: abſiſtunt fluctus, & gnara futuri
Dant pavidæ alta viam: celſis procul ipſa refulget
Cornibus, ac ſumma palearia ſuſtinet unda.

Aſt Erebi virgo ditem volat æthere Memphim
Præcipere, & Pharia venientem pellere terra.
Contra Nilus adeſt; & toto gurgite torrens
Tiſiphonen agit, atque imis illidit arenis,
Ditis opem ac ſævi clamantem numina regni.
Apparent ſparſæque faces, disjectaque longe
Verbera, & abruptis excuſſi crinibus hydri.
Nec Jovis interea ceſſat manus. intonat alto
Inſurgens cœlo genitor, curamque fatetur:
Atque ipſa imperium Juno pavet. hæc procul Io
Spectat ab arce poli, jam Divis addita, jamque
Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.
Boſporon hinc veteres errantis nomine Divæ
Vulgavere. juvet noſtros nunc ipſa labores,
Immiſſiſque ratem ſua per freta provehat Euris.
Dixerat: & placidi tendebant carbaſa venti.
Poſtera non caſſæ Minyis Aurora retexit
Noctis iter: nova cuncta vident; Thynnæaque juxta
Litora, fatidici pœnis horrentia Phinei.
Dira Deûm ſummoque lues urgebat in ævo.
Quippe neque extorrem tantum, nec lucis egentem;
Inſuper Harpyiæ Typhonides, ira Tonantis,
Depopulant, ipſoque dapes prædantur ab ore.
Talia prodigia, & tales pro crimine pœnas
Perpetitur. ſpes una ſeni, quod pellere ſævam
Quondam fata luem dederunt Aquilone creatis.
Ergo ubi jam Minyas certamque accedere Phineus
Sentit opem, primas baculo defertur ad undas:
Veſtigatque ratem, atque oculos attollit inanes.
Tunc tenuem ſpirans animam, Salve, o mihi longum

Exſpectata manus, noſtriſque, ait, agnita votis.
Novimus, & Divis geniti quibus, & via juſſos
Qua ferat: ac veſtri (rebar ſic) tempora curſus
Proxima quæque legens; quantum Vulcania Lemnos
Traxerit; infelix tulerit quæ Cyzicus arma.
Senſi & Bebrycio ſupremam in litore pugnam
Jam propior, jamque hoc animam ſolamine mulcens.
Non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phineus,
Aut memorem, mea quod vates inſedit Apollo
Pectora; præſentis potius miſereſcite fati.
Nec mihi diverſis erratum caſibus orbem,
Amiſſas aut flere domos, aut dulcia tempus
Lumina: conſuetis ſerum eſt ex ordine fatis
Ingemere. Harpyiæ ſemper mea pabula ſervant,
Fallere quas nuſquam miſero locus: ilicet omnes
Deveniunt, niger intorto ceu turbine nimbus,
(Jamque alis procul, & ſonitu mihi nota Celæno)
Diripiunt verruntque dapes, fœdataque turbant
Pocula. ſævit odor; ſurgitque miſerrima pugna:
Parque mihi monſtriſque fames. ſprevere quod omnes
Pollueruntque manus, quodque unguibus excidit atris,
Has mihi fert in luce moras. nec rumpere fata
Morte licet: trahitur victu crudelis egeſtas.
Sed vos o ſervate precor; (prædicta Deorum
Si non falſa mihi) vos finem imponite pœnis.
Nempe adſunt, qui monſtra fugent, Aquilonia proles,
Non externa mihi: nam rex ego divitis Hebri,
Junctaque veſtra meo quondam Cleopatra cubili.
Nomen ad Actææ Calais Zeteſque ſororis
Proſiliunt. Zeteſque prior, Quem cernimus? inquit:

Tune ille Odryſiæ Phineus rex inclitus oræ?
Tu Phœbi comes, & noſtro dilecte parenti?
O ubi nunc regni, generiſque ubi gloria? quam te
Exedit labor, & miſeris feſtina ſenectus!
Quin age, mitte preces; namque eſt tibi noſtra voluntas;
Si non ira Deûm, vel ſi placabilis urget.
Suſtulit hic geminas Phineus ad ſidera palmas:
Teque, ait, injuſti, quæ nunc premis, ira Tonantis
Ante precor: noſtræ tandem jam parce ſenectæ:
Sit modus: & fore credo equidem: nam veſtra voluntas
Quo, juvenes, ſine pace Deûm? nec credite culpam
Sævitiæ, ſcelerumve mihi nunc crimina pendi;
Fata loquax mentemque Jovis, quæque abdita ſolus
Conſilia, & terris ſubito ventura parabat,
Prodideram, miſerans hominum genus: hinc mihi tanta
Peſtis, & offuſæ media inter dicta tenebræ.
Jam tandem ceſſere iræ: nec caſus, ab alto
Ipſe volens noſtris ſed vos Deus appulit oris.
Sic ait, &, fatis ita jam cedentibus, omnes
Impulit, & duræ commovit imagine pœnæ.
Inſtituere toros, mediiſque tapetibus ipſum
Accipiunt, circumque jacent: ſimul æquora ſervant;
Aſtra ſimul: veſcique jubent, ac mittere curas.
Cum ſubitus miſero tremor, & pallentia primæ
Ora ſenis ſugere manus. nec prodita peſtis
Ante, ſed in mediis dapibus videre volucres.
Fragrat acerbus odor; patriique exſpirat Averni
Halitus: unum omnes inceſſere planctibus, unum
Infeſtare manus: inhiat Cocytia nubes
Luxurians, ipſoque ferens faſtidia viſu.

Tum ſola colluvie, atque illiſis ſtramina menſis
Fœda rigant: ſtridunt alæ; prædaque retenta
Sævit utrinque fames: nec ſolum horrenda Celæno
Phinea, ſed miſeras etiam prohibere ſorores.
Emicat hic ſubito, ſeſeque Aquilonia proles
Cum clamore levat: genitor ſimul impulit alas.
Hoſte novo turbata lues; lapſæque rapinæ
Faucibus: & primum pavidæ Phineïa tecta
Pervolitant, mox alta petunt: ſtant litore fixi
Hæmonidæ, atque oculis palantia monſtra ſequuntur.
Sic ubi prorupti tonuit cum forte Veſevi
Heſperiæ letalis apex; vix dum ignea montem
Torſit hiems: jamque Eoas cinis induit urbes.
Turbine ſic rapido populos atque æquora longe
Tranſabeunt: nullaque datur confidere terra.
Jamque & ad Ionii metas, atque intima tendunt
Saxa; vocat magni Strophadas nunc incola ponti.
Hic feſſæ, letique metu proprioris anhelæ
Dum trepidant, humilique graves timidoque volatu
Implorant clamore patrem Typhona nefando:
Extulit aſſurgens noctem pater; imaque ſummis
Miſcuit, & mediis vox exaudita tenebris:
Jam ſatis huc pepuliſſe Deas. cur tenditis ultra
In famulas ſævire Jovis? quas, fulmina quanquam
Ægidaque ille gerens, magnas ſibi legit in iras.
Núnc quoque Agenoreis idem decedere tectis
Imperat: agnoſcunt monitus, juſſæque recedunt.
Mox tamen & vobis ſimilis fuga, cum premet arcus
Letifer. Harpyiæ nunquam nova pabula quærent,
Donec erunt Divûm meritæ mortalibus iræ.

Hæſit uterque polo, dubiiſque elanguit alis:
Mox abit, & ſociæ victor petit agmina puppis.
Interea Minyæ pulſa lue prima Tonanti
Sacra novant: tum vina toris, epulaſque reponunt.
Ipſe inter medios, ceu dulcis imagine ſomni
Lætus, ad oblitæ Cereris ſuſpirat honores:
Agnoſcit Bacchi latices, agnoſcit & undam:
Et nova non pavidæ miratur gaudia menſæ.
Hunc ubi reclinem ſtratis, & pace fruentem
Aſpicit, ac longæ ducentem oblivia pœnæ;
Talibus appellat, ſupplexque ita fatur Iaſon:
Vota, ſenex, perfecta tibi. nunc me quoque curis
Eripe, & ad noſtros animum converte labores.
Omnis adhuc ſors læta quidem: nec numine vano
(Si qua fides curæ ſuperûm) tantum æquor adorti
Tendimus: ipſa mihi puppim Jovis optima proles
Inſtituit; ſocioſque dedit Saturnia reges.
Fidere mens ſed cæca nequit. quantumque propinquat
Phaſis, & ille operum ſummus labor; hoc magis angunt
Proxima: nec vates ſat jam mihi Mopſus & Idmon.
Ille ducem nec ferre preces, nec dicere paſſus
Amplius, hic demum vittas laurumque capeſſit,
Numina nota ciens. ſtupet Æſonis inclita proles
Phinea, ceu nunquam pœnis, nullaque gravatum
Peſte Jovis. tam largus honos, tam mira ſenectæ
Majeſtas infuſa: vigor novus auxerat artus.
Tum canit: O terras fama venture per omnes;
Quem ſociis ducibuſque Deis, atque arte benigna
Pallados, ipſe ultro Pelias ad ſidera tollit
Demens, dum profugi non ſperat vellera Phrixi:

Fata locoſque tibi (poſſum quas reddere grates)
Expediam, rerumque vias finemque docebo.
Ipſe etiam, qui me prohibet ſua pandere terris
Secula, te propter fandi mihi Iuppiter auctor.
Hinc iter ad Ponti caput, erranteſque per altum
Cyaneas: furor his medio concurrere ponto;
Necdum ullas videre rates: ſua comminus actæ
Saxa premunt, cauteſque ſuas; cum vincula mundi
Ima labant; tremere ecce ſolum, tremere ipſe repente
Tecta vides; illæ redeunt, illæ æquore certant.
Dì tibi progreſſo propius, Dì forſitan ipſi
Auxilium mentemque dabunt. aſt ipſe juvare
Auſa quibus monitis poſſim tua? quippe per altum
Tenditis, unde procul venti, procul unde volucres;
Et pater ipſe maris pavidas detorquet habenas.
Si qua brevis ſcopulis fuerit mora, ſi ſemel orſis
Ulla quies; fuga tunc medio properanda recurſu.
Vix repetunt primæ celeres confinia terræ,
Jamque alio clamore ruunt; omniſque tenetur
Pontus, & infeſtis anceps cum montibus errat.
Verum animo redit illa meo ſors cognita Divûm:
(Fabor enim, nec ſpe dubios ſolabor inani)
Cum mihi Tartareas ſævo clangore volucres
Protulit ira Jovis; vox hæc ſimul accidit aures:
Ne vanas impende preces, finemque malorum
Expete, Agenoride: pontum penetraverit ulla
Cum ratis, & rapidi ſteterint in gurgite montes;
Tunc ſperare modum pœnæ veniamque licebit.
Sic Deus. aut vobis ergo fera ſaxa pateſcunt,
Aut mea jam ſævæ redeunt ad pabula Diræ.

Verum inter medias dabitur ſic currere cautes,
Certe digna manus, vacuumque exibis in æquor;
Proxima regna Lyci: remeat qui victor ab oris
Bebryciis: toto non ullus litore Ponti
Mitior. hic lecto comitum de robore ſi quem
Perculerit vicina lues, ne defice, caſus
Prædicti memor, atque animos accinge futuris.
Illic peſtiferas ſubter juga concava torquet
Alter aquas Acheron; vaſtoque exundat hiatu
Fumeus; & ſæva ſequitur caligine campus:
Linque gravem fluvium, & miſeris ſua fata colonis.
Sic quoque non uno dabitur tranſcurrere luctu.
Quid tibi nubifera ſurgentem rupe Carambin,
Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon?
Proxima Thermodon hic jam ſecat arva: memento.
Inclita Amazonidum, magnoque exorta Gradivo
Gens ubi: femineas nec tu nunc crede catervas.
Sed qualis, ſed quanta viris inſultat Enyo,
Divaque Gorgonei geſtatrix innuba monſtri.
Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppim
Ventus agat; ludo volitans cum turma ſuperbo
Pulvereis exſultat equis; ululataque tellus
Intremit, & pugnas mota pater incitat haſta.
Non ita ſit metuenda tibi, ſæviſſima quanquam
Gens Chalybum; duris patiens cui cultus in arvis,
Et tonat afflicta ſemper domus ignea maſſa.
Inde omnem innumeri reges per litoris oram,
Hoſpitii quìs nulla fides: ſed limite recto
Puppis, & æquali tranſcurrat carbaſus aura:
Sic demum rapidi venies ad Phaſidis amnem.

Caſtra ibi jam Scythiæ, fraternaque ſurgit Erynnis:
Ipſe truces illic Colchos hoſtemque juvabis
Auxiliis. nec plura equidem diſcrimina cerno.
Fors etiam optatam dabitur contingere pellem.
Sed te non animis, nec ſolis viribus æquum
Credere; ſæpe acri potior prudentia dextra.
Quam tulerit Deus, arripe opem. jamque ultima nobis
Promere fata nefas: ſileo, & precor. atque ita facto
Fine dedit tacitis iterum reſponſa tenebris.
Tum ſubita reſides ſocios formidine Iaſon
Præcipitat; rumpitque moras, tempuſque timendi.
Ipſe viros gradiens ad primi litoris undam
Proſequitur Phineus: Quænam tibi præmia, dixit,
Quas, decus o Boreæ, poſſim perſolvere grates?
Me Pangæa ſuper rurſus juga, meque paterna
Stare Tyro, dulceſque iterum mihi ſurgere ſoles
Nunc reor: exactæ nam vere abiere volucres:
Nec metuam, tutæque dapes. date tangere vultus:
Dum, finite, amplexus: propiuſque accedite dextræ.
Dixerat. abſcedunt terris, & litora condunt.
Omnibus extemplo ſæva ſub imagine rupes
Cyaneæ, propiorque labor; quando adfore, quaque
Parte putent: ſtant ora metu, nec feſſa recedunt
Lumina diverſas circum ſervantibus undas.
Cum procul audiri ſonitus inſanaque ſaxa.
Saxa neque illa viris, ſed præcipitata profundo
Siderei pars viſa poli. dumque ocius inſtant
Ferre fugam, maria ante ratem, maria ipſa repente
Diffugere, adverſoſque vident diſcedere montes.
Omnibus & gelida rapti formidine remi.

Ipſe per arma volans, & per juga ſumma carinæ
Hortatur, ſupplexque manus intendit Iaſon,
Nomine quemque premens: Ubi nunc promiſſa ſuperba;
Ingenteſque minæ, mecum quibus iſta ſecuti?
Idem animos Amyci viſo timor omnibus antro
Perculerat: ſtetimus tamen, & Deus adfuit auſis.
Quin iterum idem aderit, credo, Deus. hæc ubi fatus;
Corripit abjecti remumque locumque Phaleri,
Et trahit: inſequitur flammata pudore juventus.
Unda laborantes præceps rotat, ac fuga ponti
Obvia: miſcentur rupes: jamque æquore toto
Cyaneæ juga præcipites illiſa remittunt.
Bis fragor infeſtas cautes, adverſaque ſaxis
Saxa dedit: flamma expreſſo bis fulſit in imbri.
Sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror
Effugit, & tenebras nimboſque intermicat ignis,
Terrificique ruunt tonitrus, eliſaque noctem
Lux dirimit; pavor ora virûm, pavor occupat aures.
Haud ſecus implevit pontum fragor: effluit imber
Spumeus, & magno puppim procul æquore veſtit.
Advertere Dei, defixaque numina ponto,
Quid ſcopulis præcluſa ratis, quid dura juventus
Expediat: pendet magnis favor ortus ab auſis.
Prima coruſcanti ſignum dedit Ægide virgo,
Fulmineam jaculata facem. vixdum ardua cautes
Ceſſerat; illa volans tenui per concita ſaxa
Luce fugit: rediere viris animique manuſque,
Ut videre viam: Sequor ô, quicunque Deorum,
Æſonides, vel fallor, ait: præcepſque fragores
Per medios ruit, & fumo ſe condidit atro.

Cœperat hinc cedens abductis montibus unda
Ferre ratem, pelagoque dies occurrere aperto;
Sed neque permiſſis jam fundere rector habenis
Vela, nec eniti remis pote; cum ſuper adſunt
Cyaneæ: premit umbra ratem, ſcopulique feruntur
Comminus. hic Juno præcepſque ex æthere Pallas
Inſiliunt pariter ſcopulos: hunc nata coercet,
Hunc conjux Jovis. ut valido qui robore tauros
Sub juga, & invito detorquet in ilia cornu.
Inde, velut mixtis Vulcanius ardor arenis
Verſet aquas, ſic ima fremunt, fluctuque coacto
Angitur, & clauſum ſcopulos ſuper effluit æquor.
Contra omnes validis tenui diſcrimine remis
Pergere iter, medioſque ratem tranſferre per ictus:
Saxa ſed extremis tamen increpuere corymbis:
Parſque (nefas) deprenſa jugis. nam cetera cœlo
Debita. conclamant Minyæ: latera utraque quippe
Diſſiluiſſe putant. fugit ipſe noviſſimus ictus
Tiphys, & e mediis ſequitur freta rapta ruinis.
Nec prius obſeſſum ſcopulis reſpexit ad æquor,
Aut ſociis tentata quies, nigrantia quam jam
Litora, longinquique exirent flumina Rhebæ.
Tunc feſſas poſuere manus, tunc arida anheli
Pectora. diſcuſſa quales formidine Averni
Alcides Theſeuſque comes pallentia jungunt
Oſcula, vix primis amplexi luminis oris.
Nec vero ipſe metus curaſque reſolvere ductor:
Sed maria adſpectans, Heu quis datus iſte Deorum
Sorte labor nobis? ſerum ut veniamus ad amnem
Phaſidis, & mites, inquit, dent vellera Colchi,

Unde per hos iterum montes fuga? talia fundit,
Imperio fixos Jovis æternumque revinctos
Neſcius. id fati certa nam lege manebat,
Si qua per hos undis unquam ratis iſſet apertis.
Tnm freta, quæ longis fuerant impervia ſeclis,
Ad ſubitam ſtupuere ratem: Pontique jacentis
Omne ſolum, regeſque patent genteſque repoſtæ.
Non alibi effuſis ceſſerunt longius undis
Litora; nec tantas quamvis Tyrrhenus & Ægan
Volvat aquas; geminis & deſint Syrtibus undæ.
Nam ſuper huc vaſtos tellus quoque congerit amnes.
Non ſeptem gemini memorem quas exitus Hiſtri,
Quas Tanais, flavuſque Lyces, Hypaniſque, Melaſque
Addat opes; quantoſque ſinus Mæotia laxent
Æquora. flumineo ſic agmine frangit amari
Vim ſalis, hinc Boreæ cedens glaciantibus auris
Pontus, & exorta facilis concreſcere bruma.
Utque vel immotos Urſæ rigor invenit amnes,
Vel freta verſa vadis: hiemem ſic unda per omnem
Aut campo jacet, aut tumido rigat ardua fluctu;
Atque hac Europam curvis anfractibus angit,
Hac Aſiam, Scythicum ſpecie ſinuatus in arcum.
Illic umbroſæ ſemper ſtant æquore nubes,
Et non certa dies: primo nec ſole profundum
Solvitur, aut vernis cum lux æquata tenebris:
Sed redit extremo tandem in ſua litora Tauro.
Jam Mariandynis advertit puppis arenis;
Atque celer terras regemque exquirit Echion,
Dicta ferens: lectos fama eſt ſi nominis unquam
Hæmonii ſubiiſſe viros, det litora feſſis.

Approperat Lycus auditis lætatus Achivis;
Ac ſimul Æſoniden, omnemque in regia turbam
Tecta trahit, modo Bebryciis præfixa tropæis;
Miſtis & in mediis effatur talia Grajis:
Haud temere eſt. fato Divûm reor ad mea vectos
Litora vos: odium quibus atque eadem ira furentis
Bebryciæ, ſævaque pares de gente triumphi.
Certa fides animis, idem quibus incidit hoſtis.
Nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti,
Senſimus; & ſævis frater mihi fuſus arenis.
Ultor ego, atque illuc cunctis accenſus in armis
Tunc aderam, cum vos mediis contenta ferebant
Vela fretis. illum in ſanie, taboque recenti
Vidimus, æquoreo ſimilem per litora monſtro.
Nec vero prærepta mihi ſuprema tyranni
Fata queror: bellove magis lætarer & armis
Procubuiſſe meis, quam lege quod occidit ultus
Ipſe ſua, meritoque madent quod ſanguine cæſtus.
Excipit Æſonides: Tuus ergo in montibus ignis
Ille? tuas acies medio de gurgite vidi?
Fatur. & oſtentans prolem Jovis, Hic tibi Pollux
En, ait, inviſo ſolvit cui pectore pœnas.
Ille virum circa mirantia lumina volvit.
Feſta dehinc mediis ineunt convivia tectis,
Communeſque vocant ſuperos, quorum eruta nutu
Bebrycia: & votis pariter prædaque fruuntur.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER QUINTUS.

Digitized by Google

LIBRI QUINTI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

IDMONA ſæva lues tollit, Tiphynque carinæ
Ductorem Hæmoniæ. doctum cui garrula puppis
Sufficit Erginum. cœpti fortuna laboris
Tres addit ſocios. furtum, linguamque Promethei
Expiat Alcides. Colchis appellitur oris
Argo. Soligenam nocturna inſomnia terrent.
Tergora tum clarus ſuadet reddi aurea Perſes.
Effugit. Æſonidæ offertur Medea. petuntur
Vellera. fraus agitat regem. convivia tectis
Apparat Æetes. ſævis Gradive Minervam
Increpitans fortem: tantas ſed Juppiter iras
Componit. Phlegræa canunt certamina Muſæ.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER V.

ALTERA lux haud læta viris emerſit Olympo:
Argolicus morbis fatiſque rapacibus Idmon
Labitur; extremi ſibi tum non inſcius ævi.
At memor Æſonides nimium jam vera locuti
Phineos, hinc alios rapto pavet Idmone luctus:
Tum comiti pia juſta tulit: cælataque multa
Arte Dolionii donat velamina regis:
Hoſpes humum ſedemque Lycus. flens arma revellit
Idmonis e celſa Mopſus rate: robora cædunt
Pars ſilvis, portantque aræ: pars auguris alba
Fronde caput vittiſque ligant; poſitumque feretro
Congemuere: dies ſimul & ſuus admonet omnes.
Ecce, inter lacrimas, interque extrema virorum
Munera, quem curſus penes imperiumque carinæ,
Tiphyn agit violenta lues; cunctique pavore
Attoniti fundunt mœſtas ad ſidera voces:

Arcipotens adverte, precor, nunc denique, Apollo;
Hoc, pater, hoc nobis reſove caput: ulla laboris
Si noſtri te cura movet, qui cardine ſummo
Vertitur, atque omnis manibus nunc pendet ab unis.
Dicta dabant ventis, nec debita fata movebant.
Qualem præcipiti gravidum jam ſorte parentem
Natorum flet parva manus; trepidique precantur,
Duret ut invalidis, & adhuc genitoris egenis:
Haud aliter ſocii ſupremo in tempore Tiphyn
Ante alios ſupereſſe volunt. mors frigida contra
Urget: & ille recens oculis intervolat Idmon.
Exanimum fruſtra Minyæ clamore morantur,
Avellique negant: vix membra rigentia tandem
Impoſuere rogo; lacrimaſque & munera flammis
Vana ferunt: creſcit donis feralis acervus.
Ut vero amplexus feſſi rupere ſupremos,
Et rapidæ ſonuere faces; tunc ipſa cremari
Viſa ratis, medioque viros deponere ponto.
Non tulit Æſonides, geminis flagrantia cernens
Corpora cara rogis; ſed pectore ductor ab imo
Talia voce gemit: Quid tantum infenſa repente
Numina? quas noſtri pœnas meruere labores?
Bina (nefas) tuto pariter mihi funera ſurgunt
Litore. magna adeo comitum numeroſaque pubes?
Aut ſocios rapit atra dies, aut ipſe relinquo
Sontibus impulſus Furiis. ubi Tiphys? ubi Idmon
Fata canens? ubi monſtriferæ par ille novercæ?
Te ſine, Theſpiade, nos ulla movebimus ultra
Æquora? nec ſumma ſpeculantem puppe videbo
Pleïadumque globos & agentes noctibus Arctos?

Cui Minyas, caramque ratem, cui ſidera tradis?
Carpere ſecuras quis jam jubet Æſona noctes?
Hoc labor, hoc dulci totiens fraudata ſopore
Lumina, & admotis nimium mens anxia Colchis
Profuit? heu quantum Phaſis, quantum Æa receſſit!
Nunc quoque, ſi tenui ſuperant in imagine curæ,
Adſis umbra, precor, venturi præſcia cœli,
Rectoremque tuæ moneas ratis. hæc ubi fatus,
Sola virûm flammis vidit labentibus oſſa.
Quod tamen externis unum ſolamen in oris
Reſtat, ait, caras humus hæc non dividet umbras;
Oſſaque nec tumulo, nec ſepare conteget urna;
Sed ſimul: ut junctis veniſtis in æquora fatis.
Haud mora: relliquias ſocii defletaque miſcent
Nomina. tum vivo frondens e ceſpite tellus
Aggeritur: cineremque Lyco commendat Iaſon.
Mœſti omnes dubiique, ratem fidiſſima cujus
Dextra regat: ſimul Ancæus, ſollerſque petebant
Nauplius. Erginum fato vocat ipſa monenti
Quercus: & ad tonſas victi rediere magiſtri.
Ac velut ille, gregis ceſſit cui regia, taurus
Fertur ovans: hunc omnis honos, hunc omnis in unum
Tranſit amor. primo lætos ſic tempore rector
Ingreditur curſûs: etenim dat candida certam
Nox Helicen. jam prora fretum commoverat, & jam
Puppe ſedens placidas dimiſerat ancora terras.
Inde, premente Noto, triſtes Acheruſidos oras
Præterit, & feſta vulgatum nocte Lyæi
Callichoron: nec vana fides. his Bacchus in undis
Abluit Eoo rorantes ſanguine thyrſos.

Illum, poſt acies rubrique noviſſima clauſtra
Æquoris, hic reſides thiaſos, hic æra moventem;
Udaque pampinea nectentem cornua vitta,
Nunc etiam meminiſtis, aquæ: Bæotia qualem
Thyas, & infelix cuperet vidiſſe Cithæron.
Fama per extremos quin jam volat improba manes
Interea, & magnis natorum laudibus implet
[Venturam cœlo fatis melioribus Argo:]
Addita jamque fretis repetens freta, jamque ferentes
Cyaneas. ardent avidos attollere vultus,
Quos pietas, vel tangit adhuc quos æmula virtus.
Fata immota manent: unum, qui litore in illo
Conditus, ad caræ mittunt ſpectacula turbæ.
It Sthenelus: qualem Mavortia vidit Amazon;
Cumque ſuis comitem Alcides ut condidit armis;
Talis ab æquorei conſurgens aggere buſti
Emicuit: fulſere undæ; Sol magnus ut orbem
Tolleret, aut nubem quateret polus. atque ea vix dum
Viſa viris atra nox protinus abſtulit umbra:
Ille dolens altum repetit chaos. omnia Mopſus
Dum ſtupet, in prima tumulum procul adſpicit acta:
Obnubenſque caput, cineri dat vina vocato.
Carmina quin etiam viſos placantia manes
Odryſius dum rite movet, mixtoque ſonantem
Percutit ora lyram, nomenque reliquit arenis,
Altius in ventos recipit ratis; ac fugit omne
Crobiali latus, & fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium: ante alios Triviæ qui creditur amnes
Fidus, & Inopi materna gratior unda.
Mox etiam Cromnæ juga pallentemque Cytoron,

Digitized by Google

Teque cita penitus condunt, Erythia, carina.
Jamque reducebat noctem polus: alta Carambis
Raditur, & magnæ pelago tremit umbra Sinopes.
Aſſyrios complexa ſinus ſtat opima Sinope,
Nympha prius, blandoſque Jovis quæ luſerat ignes,
Cœlicolis immota procis: deceptus amatæ
Fraude Deæ nec ſolus Halys, nec ſolus Apollo.
Addidit hic caſu comites Fortuna benigno,
Autolycum Phlogiumque & Deïleonta, ſecutos
Herculis arma viros: vagus hos ibi fixerat error:
Ut Grajam videre manum, puppimque Pelaſgam,
Prima ruunt celeres ad litora, ſeque precantur
Accipiant ſocios. nova dux accedere gaudet
Nomina, deſertos & jam ſibi currere remos.
Tranſit Halys, longiſque fluens anfractibus Iris;
Sævaque Thermodon medio ſale murmura volvens,
Gradivo ſacer, & ſpoliis ditiſſimus amnis:
Donat equos, donat votas cui virgo ſecures,
Cum redit ingenti per Caſpia clauſtra triumpho;
Maſſageten Medumque trahens. eſt vera propago
Sanguinis, eſt ollis genitor Deus. hinc magis alta
Hæmonidæ petere, & monitus non temnere Phinei.
Ipſe autem comitum converſus ad ora novorum,
Vos mihi nunc pugnas, ait, & victricia, ductor,
Herculis arma mei, veſtraſque in litore Martis
Interea memorate manus. ſic fatus, & ægro
Corde ſilens, audit currus, bellique labores
Virginei: exciderit frenis quæ prima remiſſis:
Semianimem patrius quam vexerit amnis in æquor;
Quæ pelta latus, atque humeros nudata pharetris

Fugerit, Herculeæ mox vulnere prenſa ſagittæ;
Utque ſecurigeras ſtimulaverit Ira catervas,
Fleturuſque pater; quantus duce terror in ipſa,
Qui furor in ſignis: quo balteus arſerit auro.
Nocte ſub extrema clauſis telluris ab antris
Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
Ruricolæ, Gradive, tui: ſonat illa creatrix
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
Eruerent, enſeſque darent, odia ægra ſine armis
Errabant, iræque inopes, & ſegnis Erinnys.
Inde Genetæi rupem Jovis, hinc Tibarenum
Dant virides poſt terga lacus: ubi deſide mitra
Fœta ligat, partuque virum fovet ipſa ſoluto.
Vos quoque non notæ mirati vela carinæ
Moſſyni: vos & ſtabulis Macrones ab altis,
Byzereſque vagi, Philyræque a nomine dicta
Litora, quæ cornu pepulit Saturnus equino.
Ultimus inde ſinus, ſævumque cubile Promethei
Cernitur, in gelidas conſurgens Caucaſus Arctos.
Ille etiam Alciden Titania fata morantem
Attulerat tum forte dies: jamque aſpera niſu
Undique convellens, veteris cum ſtrage pruinæ,
Vincula prenſa manu ſaxis adduxerat imis
Arduus, & lævo gravior pede: conſonat ingens
Caucaſus: & ſummo pariter cum monte ſecutæ
Incubuere trabes, abductaque flumina ponto:
Fit fragor: ætherias ceu Juppiter arduus arces
Impulerit, imas manus aut Neptunia terras.
Horruit immenſum Ponti latus: horruit omnis

Armeniæ prætentus Hiber: penituſque recuſſo
Æquore Cyaneas Minyæ timuere relictas.
Tum gemitu propiore Chalybs, denſuſque revulſis
Rupibus audiri montis labor, & grave Titan
Vociferans, fixos ſcopulis dum vellitur artus.
Contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis
Montibus Alciden? dimiſſave vota retentet?)
Pergere iter ſocii: tantum mirantur ab alto
Litora diſcuſſa ſterni nive, ruptaque ſaxa,
Et ſimul ingentem moribundæ deſuper umbram
Alitis, atque atris rorantes imbribus auras.
Sol propius flammabat aquas; extremaque feſſis
Cœperat optatos jam lux oſtendere Colchos:
Magnus ubi adverſum ſpumanti Phaſis in æquor
Ore ruit. cuncti pariter loca debita noſcunt,
Signaque commemorant, emenſaſque ordine gentes;
Dantque ratem fluvio. ſimul æthere plena coruſco
Pallas, & alipedum Juno juga ſiſtit equorum.
Ac dum prima gravi ductor ſubit oſtia pulſu;
Populeos flexus, tumulumque virentia ſupra
Flumina cognati medio videt aggere Phrixi:
Quem comes infelix Pario de marmore juxta
Stat ſoror, hinc ſævæ formidine mœſta novercæ;
Inde maris, pecudique timens imponere palmas.
Siſtere tum ſocios jubet, atque hinc prima ligari
Vincula, ceu Pagaſas, patriumque intraverit amnem.
Ipſe, gravi patera ſacri libamina Bacchi
Rite ferens, umbram vocat, & ſic fatur ad aras:
Per genus, atque pares tecum mihi, Phrixe, labores
Tu precor orſa regas, meque his tuteris in oris;

* Tot freta, tot dure properantia ſidera paſſis,
Phrixe, fave; & patrias placidus reminiſcere terras.
Tu quoque nunc, tumulo nequidquam condita inani;
Annue, Diva maris; numeroque accede tuorum.
Quando egomet rurſus per te vehar? aurea quando
Seſton, & infauſtos agnoſcent vellera fluctus?
Vos etiam ſilvæ, vos Colchidos hoſpitis oræ,
Pandite, dives ubi pellis micet arbore ſacra.
Tunc tibi, fœcundi proles Jovis, orte nivali
Arcados axe Deæ (fluvio modo, Phaſi, quieto
Palladiam patiare ratem) nec dona, nec aræ
Defuerint tellure mea: veneranda fluentis
Effigies te, Phaſi, manet; quam magnus Enipeus;
Et pater aurato quantus jacet Inachus antro.
Dixerat: atque illi dextra ſine verſa magiſtri
Protinus in proram rediit ratis, omine certo
Fluminis os pontumque tuens. promittis ut, ecce;
Utque vocas, revehemur, ait. ſic deinde precatus;
Arma jubet celſa ſocios depromere puppi:
Dona dehinc Bacchi, caſus qui firmet in omnes.
Rapta Ceres: virideſque premunt longo ordine ripas.
Incipe nunc alios cantus, Dea, viſaque vobis
Theſſalici da bella ducis. non mens mihi, non hæc
Ora ſatis: ventum ad furias, infandaque natæ
Fœdera, & horrenda trepidam ſub virgine puppim:
Impia monſtriferis ſurgunt jam prœlia campis.
Ante dolos, ante infidi tamen exſequar aſtus
Soligenæ, falli meriti, meritique relinqui.
Inde canens: Scythica ſenior jam Solis ab urbe
Fata laborati Phrixus compleverat ævi;

Illius extremo ſub funere mira repente
Flamma poli, magnoque aries apparuit aſtro;
Æquora cuncta movens. at vellera, Martis in umbra,
Ipſe ſui Phrixus monumentum inſigne pericli
Liquerat, ardenti quercum complexa metallo.
Quondam etiam tacitæ viſus per tempora noctis
Effigie vaſta; ſocerumque exterruit ingens
Prodita vox: O qui patria tellure fugatum
Quærentemque domos, his me confidere paſſus
Sedibus, oblata generum mox prole petiſti:
Tunc tibi regnorum labes luctuſque ſuperſunt,
Rapta ſoporato fuerint cum vellera luco.
Præterea infernæ quæ nunc ſacrata Dianæ
Fert caſtos Medea choros, quemcunque procorum
Pacta petat, maneat regnis ne virgo paternis.
Dixit, & admota pariter fatalia viſus
Tradere terga manu: tum falſo fuſus ab auro
Currere per ſummi fulgor laquearia tecti.
Membra toris rapit ille tremens, patriumque precatur
Numen, & Eoo ſurgentes litore currus.
Hæc tibi, fatorum genitor tutela meorum
Omnituens: tua nunc terris, tua lumina toto
Sparge mari: ſeu noſtra dolos molitur opertos,
Sive externa manus, primus mihi nuntius eſto.
Tu quoque, ſacrata rutilant cui vellera quercu,
Excubias, Gradive, tene: præſentia luco
Arma tubæque ſonent; vox & tua noctibus exſtet.
Vix ea; Caucaſeis cum lapſus montibus anguis,
Haud ſine mente Dei, ſpiris nemus omne refuſis
Implicuit, Grajumque procul reſpexit ad orbem.

Ergo omnes prohibere minas, prædictaque Phrixi
Invigilat: plena necdum Medea juventa
Annuitur thalamis Albani virgo tyranni.
Interea auguriis monſtriſque minacibus urbem
Territat ante monens ſemper Deus, & data ſeri
Signa mali: reddi jubet exitiale ſacerdos
Vellus, & Hæmoniis infauſtum mittere terris.
Contra Sole ſatus, Phrixi præcepta volutans
Ægro corde negat: nec vulgi cura tyranno,
Dum ſua ſit modo tuta ſalus. tunc ordine regi
Proximus, & frater materno ſanguine Perſes
Increpitare virum: ſequitur duce turba reperto;
Ille furens ira ſolio ſe proripit alto,
Præcipitatque patres: ipſum quoque talibus auſis
Spem ſibi jam rerum vulgi levitate ferentem
Enſe petit. rapit inde fugam, crudelia Perſes
Signa gerens, omnemque quatit rumoribus Arcton.
Jamque aderat magnis regum cum millibus urbi,
Primaque in adverſos fruſtratus prœlia muros
Conſtiterat. datus & ſociis utrinque cremandis
Ille dies, alterque dies; cum, Marte remiſſo,
Debitus Ææis dux Theſſalus appulit oris.
Nox hominum genus & duros miſerata labores
Rettulerat feſſis optata ſilentia terris:
At Juno, & ſummi virgo Jovis, intima ſecum
Conſilia & varias ſociabant pectore curas.
Virgo prior: Magna pariter quos mole petamus;
Cernis, ait, Colchos habeant quæ prœlia, quique
Nunc ſtatus. hinc Perſes, illinc non viribus æquis
Apparat Æetes aciem. quibus addimur armis?

Cui Juno: Dimitte metus, ne prœlia forte
Hinc tibi grata negem: manet ingens ægida ſudor,
Et noſtros jam ſudor equos: ſtat pectore fixum,
Æetæ ſociare manus: ſcio perfida regis
Corda quidem; nullos Minyis exſolvet honores.
Verum alios tunc ipſa dolos, alia orſa movebo.
Sint, precor, hæc: tua namque mihi comitanda poteſtas,
Pallas ait: liceat Grajis ut reddere terris
Æſonium caput; & puppim, quam ſtruximus ipſæ,
Jactatam tandem noſtro componere cœlo.
Talia tunc hominum ſuperi pro laude movebant.
Triſtior at nunquam, tantove paventibus ulla
Nox Minyis egeſta metu; nil quippe reperto
Phaſide, nil domitis actum Symplegados undis,
Cunctaque adhuc, magni veniant dum regis ad urbem,
Ambigua, & dubia rerum pendentia ſumma.
Præcipue Æſoniden varios incerta per æſtus
Mens rapit undantem curis, ac multa novantem.
Qualiter ex alta cum Juppiter arce coruſcat,
Pliadas ille movens, mixtumque ſonoribus imbrem,
Horriferamve nivem, canis ubi tollitur omnis
Campus aquis, aut ſanguinei magna oſtia belli,
Aut altos duris fatorum gentibus ortus.
Sic tum diverſis hinc atque hinc molibus anceps
Pectora dux crebro gemitu quatit: optat & almum
Jam jubar, & certi tandem diſcriminis horas.
Tunc defixa ſolo, cœtuque intenta ſilenti
Verſus ad ora virûm, Quod primum ingentibus auſis
Optaviſtis, ait, veterumque quod horruit ætas,
Adſumus en, tantumque fretis enavimus orbem.

Nec pelagi nos mille viæ, nec fama fefellit,
Soligenam Æeten media regnare ſub Arcto.
Ergo ubi lux altum ſparget mare, tecta petenda
Urbis, & ignoti mens experienda tyranni:
Annuet ipſe, reor; neque inexorabile certe,
Quod petimus: ſin vero preces & dicta ſuperbus
Reſpuerit, jam nunc animos firmate repulſæ;
Quaque via patriis referamus vellera terris,
Sit procul, & rebus ſemper pudor abſit in arctis.
Dixerat: &, Scythicam qui ſe comitentur ad urbem,
Sorte petit: numeroque novem ducuntur ab omni.
Inde viam, qua Circæi plaga proxima campi,
Corripiunt, regemque petunt, jam luce reducta.
Forte Deûm variis per noctem exterrita monſtris,
Senſerat ut pulſas tandem Medea tenebras,
Rapta toris primi jubar ad placabile Phœbi
Ibat, & horrendas luſtrantia flumina noctes.
Namque, ſoporatos tacitis in ſedibus artus
Dum premit alta quies, nullæque in virgine curæ,
Viſa pavens caſtis Hecates excedere lucis:
Dumque pii petit ora patris, ſtetit arduus inter
Pontus, & ingenti circum ſtupefacta profundo:
Fratre tamen conante ſequi: mox ſtare paventes
Viderat intenta pueros nece, ſeque trementum
Spargere cæde manus, & lumina rumpere fletu.
His turbata minis fluvios ripamque petebat
Phaſidis, æquali Scythidum comitante caterva:
Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,
Aut Sicula ſub rupe choros, hinc greſſibus hærens
Pallados, hinc caræ Proſerpina juncta Dianæ:

Altior, ac nulla comitum certante, priuſquam
Palluit, & viſo pulſus decor omnis Averno.
Talis & in vittis geminæ cum lumine tædæ
Colchis erat, nondum miſeros exoſa parentes.
Ut procul extremi gelidis a fluminis undis
Prima viros tacito vidit procedere paſſu,
Subſtitit, & mœſto nutricem affata timore eſt:
Quæ manus hæc, certo ceu me petat agmine, mater,
Advenit, haud armis, haud unquam cognita cultu?
Quære fugam, precor, & tutos circumſpice ſaltus.
Audit virginei cuſtos grandæva pudoris
Henioche, cultus primi cui creditus ævi:
Tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.
Non tibi ab hoſte minæ, nec vis, ait, ulla propinquat,
Nec metus; externo jam flammea murice cerno
Tegmina; jam vittas frondemque imbellis olivæ.
Grajus adeſt: Grajo ſic cuncta ſimillima Phrixo.
Sic ait. at Juno, pulchrum longiſſima quando
Robur cura ducis, magnique edere labores,
Mole nova & roſeæ perfudit luce juventæ.
Jam Talaum, jamque Ampyciden, aſtroque comantes
Tyndaridas ipſe egregio ſupereminet ore.
Non ſecus, autumno quam cum magis aſperat ignes
Sirius, & ſævo cum nox accenditur auro,
Luciferas crinita faces, hebet Arcas, & ingens
Juppiter: aſt illum tanto non gliſcere cœlo
Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.
Regina, attonito quanquam pavor ore ſilentem
Exanimet, mirata tamen, paulumque reductis
Paſſibus, inſolito ſtupuit duce. nec minus inter

Ille tot ignoti ſocias gregis hæret in una
Defixus, ſentitque ducem dominamque catervæ.
Si Dea, ſi magni decus huc ades, inquit, Olympi;
Has ego credo faces, hæc virginis ora Dianæ,
Teque renodatam pharetris, ac pace fruentem,
Ad ſua Caucaſeæ producunt flumina Nymphæ.
Si domus in terris, atque hinc tibi gentis origo;
Felix prole parens, olimque beatior ille,
Qui tulerit, longis & te ſibi junxerit annis.
Sed fer opem, regina, viris. nos hoſpita pubes
Advehimur, Grajûm proceres, tua tecta petentes.
Duc, precor, ad veſtri, quicunque eſt, ora tyranni:
Ac tu prima doce fandi tempuſque modumque.
Nam mihi ſollicito Deus ignaroque locorum
Te dedit: in te animos, ſed & omnia noſtra repono.
Dixit, & opperiens trepidam ſtetit. illa, parumper
Virgineo cunctata metu, ſic orſa viciſſim:
Quem petis Æeten, genitor meus: ipſaque juxta
Mœnia; ſi bivios poſſis diſcernere calles.
Hac adeo duce ferte gradus: ingentia namque
Caſtra alios aditus, atque impius obſidet hoſtis.
Dixerat hæc, patriumque viam detorquet ad amnem;
Sacraque terrificæ ſupplex movet irrita Nocti.
Ille autem inceptum famula duce protinus urget
Aere ſeptus iter: patitur nec regia cerni
Juno virum, prior Æetæ ne nuntius adſit.
Jamque inerat populo mediæque incognitus urbi,
Cum comes orſa loqui: Phœbi genitoris ad aras
Ventum, ait. huc adytis jam ſe de more paternis
Rex feret: hic proceres audit, populoſque precantes

Alloquii facilis (præſens pater admonet) æqui.
Dixerat. aſt illi propere monſtrata capeſſunt
Limina: non aliter, quam ſi radiantis adirent
Ora Dei, veraſque æterni luminis arces.
Tale jubar per tecta micat. ſtat ferreus Atlas
Oceano, genibuſque tumens infringitur unda:
At medii per terga ſenis rapit ipſe nitentes
Altus equos, curvoque diem ſubtexit Olympo:
Pone rota breviore, ſoror, denſæque ſequuntur
Pliades, & madidis rorant e crinibus ignes.
Nec minus hic varia dux lætus imagine templi
Ad geminas fert ora fores, cunabula gentis
Colchidos hic ortuſque tuens: ut prima Seſoſtris
Intulerit rex bella Getis; ut clade ſuorum
Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem;
Phaſidis hos imponat agris, Colchoſque vocari
Imperet: Arſinoen illi tepidæque requirunt
Otia læta Phari, pinguemque ſine imbribus annum:
Et jam Sarmaticis permutant carbaſa bracis.
Barbarus in patriis ſectatur montibus Æan
Phaſis, amore furens: pavidas jacit illa pharetras
Virgineo turbata metu; diſcurſibus & jam
Deficit: ac volucri victam Deus alligat unda.
Flebant populeæ juvenem Phaethonta ſorores,
Ater & Eridani trepidum globus ibat in amnem:
At juga vix Tethys ſparſumque recolligit axem,
Et formidantem patrios Pyroenta dolores.
Aurea quin etiam præſaga Mulciber arte
Vellera, venturoſque olim cælarat Achivos:
Texitur Argoa pinus Pagaſea ſecuri:

Jamque eadem remos, eadem Dea fleƈtit habenas:
Ipſe ſubit, nudaque vocat dux agmina dextra.
Exoritur Notus, & toto ratis una profundo
Cernitur. Odryſio gaudebant carmine Phocæ.
Apparent trepidi per Phaſidis oſtia Colchi,
Clamantemque procul linquens regina parentem.
Urbs erat hic contra, gemino circumflua ponto,
Ludus ubi & cantus, tædæque in noƈte jugales,
Regalique toro lætus gener: ille priorem
Deſerit: ultrices ſpeƈtant a culmine Diræ.
Deficit in thalamis, turbataque pellice conjux
Pallam & gemmiferæ donum exitiale coronæ
Apparat, ante omnes ſecum deqneſta labores;
Munere quo patrias pellex ornetur ad aras
Infelix: & jam rutilis correpta venenis
Implicat igne domos. hæc tum miracula Colchis
Struxerat ignipotens, nondum noſcentibus, ille
Quis labor, aligeris aut quæ ſecet anguibus auras,
Cæde madens: odere tamen, viſuſque refleƈtunt.
Quin idem Minyas operum defixerat error,
Cum ſe Sole ſatus patriis penetralibus infert.
Filius hunc juxta primis Abſyrtus in annis,
Dignus avo, quemque inſontem meliora manerent.
Tum gener Albanis Styrus qui advenerat oris,
Diſtulerant ſed bella toros: tum Phrontis & Argus
Æolidæ, fraterque Melas, quos advena Phrixus
Progenuit; pariterque levi Cytiſorus in haſta.
Poſt alii, quos præcipuo Titania tellus
Legit honore patres, motique ad prœlia reges.
Admonet hic ſocios, nebulamque erumpit Iaſon,

Sideris ora ferens: nova lux obfuſa Citæis.
Conveniunt, rogitantque viros, rogitantque, quid auſi,
Quidve ferant. poſtquam primis inhiantia dictis
Agmina, ſuppreſſumque videt jam murmur Iaſon;
Talia miranti propius tulit orſa tyranno:
Rex Hyperionide, quem per freta tanta petundum
Cœlicolæ, & prima dignum ſtatuere carina:
Si quando hic aliquam noſtro ſatus orbe ſolebat
Theſſaliam, ſi quos Phrixus memorare Pelaſgos;
Hi tibi, tot caſus, horrenda tot avia menſi,
Cernimur. ipſe egomet proprio de ſanguine Phrixi:
Namque idem Cretheus ambobus & Æolus auctor,
Cum Jove, Neptunoque, & cum Salmonide Nympha.
Meque nec huc enſes, aræque egere paternæ:
Nec tua, Theſſalicis quanquam inclita nomina terris,
Sponte ſequor. cui non juſſo tot adire voluptas
Monſtra maris? cui Cyaneos intrare fragores?
Sceptra tui toto Pelias ſub nomine Phœbi
Maxima ſorte tenens, totque illa creantia Divos
Oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu;
Ille meum imperiis urget caput: ille labores
Dat varios. ſuus ut magnum rex ſpargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipſe ſatus. tamen aſpera regum
Perpetimur juga; nec melior parere recuſo.
Hic ſibi me auratæ pecudis quiſcunque periclis
Exuvias perferre jubet. tibi gratia noſtri
Sit, precor, hæc; meritique locus, quod juſſa recepi:
Teque alium, quam quem Pelias ſperatque cupitque,
Promiſi, & meliora tuæ mihi fœdera dextræ.
Si petere hoc ſævi ſtatuiſſem ſanguine belli,

Oſſa dabat Pinduſque rates: quotque ante ſecuti
Inde nec audacem Bacchum, nec Perſea, reges.
Sed me nuda fides, ſanctique potentia juſti
Huc tulit, & medii ſociatrix gratia Phrixi,
Jamque tibi noſtra geniti de ſtirpe nepotes.
Nec tamen aut Phrygios reges, aut arva furentis
Bebryciæ ſpernendus adi. ſeu fraude petivit,
Seu quis honore meos, ſua reddita dona; Deûmque
Nos genus, atque ratem magnæ ſenſere Minervæ.
Vix tandem longis quæſitam Colchida votis
Contigimus; qualemque dabat te fama, videmus.
Tu modo ne claros Minyis invideris actus.
Non aliena peto, terriſve indebita noſtris,
Si quis & in precibus vero locus: atque ea Phrixo
Crede dari; Phrixum ad patrios ea ferre penates.
Munera tu contra victum mihi vecta per æquor,
Accipe, Tænarii chlamydem de ſanguine aheni,
Frenaque, & accinctum gemmis fulgentibus enſem:
Hoc patrium decus; hæc materni texta laboris:
His Lapithes aſſuerat eques. da jungere dextram,
Da Scythicas ſociare domos: ſciat effera regis
Ira mei, quem te horrifero ſortitus in axe
Caucaſus, atque tuis quantum miteſcat habenis.
Talibus orantem vultu gravis ille minaci
Jamdudum fremit; & furiis igneſcit opertis.
Ceu tumet, atque imo ſub gurgite concipit auſtros
Unda ſilens; trahit ex alto ſic barbarus iras;
Et nunc auſa viri, nunc heu! ſua prodita Grajis
Regna fremit: quin & facili ſibi mente receptum
Jam Phrixum dolet, & Scythiæ periiſſe timores:

Nunc quaſſat caput, ac juvenis ſpes ridet inanes;
Quid veſanus agat, quod vellera poſcat ab angue.
Urit & antiquæ memorem vox præſcia ſortis;
Cur ſimul aut Perſen illinc ſibi moverit, aut hinc
Theſſalicam Fortuna ratem: num debitus iſta
Finis agat, ſævæque petant jam vellera Pareæ.
Interea quoniam belli pugnæque propinquæ
Cura prior, fingit placidis fera pectora dictis.
Reddit & hæc: Cuperem haud tali vos tempore tectis
Adveniſſe meis; quo me gravis aſſidet hoſtis.
Frater enim (ſceptri ſic omnibus una cupido)
Excidium parat, & caſtris me ingentibus urget.
Quare, age, cognatas primum defendite ſedes;
Nec decus oblati dimiſeris advena belli.
Namque virum trahit ipſe chalybs: tum vellera victor,
Tum meritis, nec ſola dabo. contra inſcius aſtus,
Ergo nec hic noſtris deerat labor arduus actis,
Excipit Æſonides, & ceu nihil æquore paſſis
Additus iſte dies? veniant ſuper hæc quoque fato
Bella meo. non hunc parva mihi cæde dolorem,
Quaſque dedit, luet ille moras. tum Caſtora mittit,
Qui ferat Ææi ſociis reſponſa tyranni.
Acribus aſt illos curis mora ſæva trahebat.
Ac ſimul ut medio viderunt Caſtora campo,
Crebrior incuſſit mentem pavor: O Jovis alma
Progenies, fare, an patriam ſpes ulla videndi,
Fare, omnes. ille in mediis ſic orſus Achivis:
Nec ferus Æetes, ut fama, nec aurea nobis
Terga negat: bello interea ſed preſſus iniquo
Auxilium petit: armatos dux protinus omnes

Accelerare jubet; longo nam tuta receſſu
Puppis, & oppoſita fluvius defenditur urbe.
Haud mora; proſiliunt, quos nec Rhipæa juventus,
Quos nec Iber, aut tota ſuis Aurora pharetris
Suſtineat. ſtetit explicito prius agmine pubes:
Expertique ſimul, ſi tela artuſque ſequantur.
Nec quiſquam freta, nec patrias jam reſpicit urbes:
Sed magis ad præſens itur decus. incita criſtas
Aura quatit: variis floret via diſcolor armis.
Qualis ab Oceano nitidum chorus æthera veſtit:
Qualibus aſſurgens nox aurea cingitur aſtris.
Illos Sole ſatus tacita mœſtiſſimus ira
Miratur temere aſſumtos: nec talia mallet
Robora, quam medios hoſtem ſubiiſſe penates.
Interea læto patitur convivia vultu;
Et juxta Æſoniden magno cratere laceſſit,
Nunc ſibi monſtrantem natos Jovis, oraque juxta
Æacidûm, nunc ingentes Calydonis alumnos:
Audit & Alciden infando errore relictum,
Defletoſque duces, terræque mariſque labores.
Ipſe autem tantis concita furoribus arma
Expetit Æſonides, & amicos ordine reges:
* Quis procul ille virum nobis, quem balteus aſper
Subligat, & ſtricto ſtat proximus armiger arcu,
Ceu pugnam paret, & poſitas confundere menſas?
Contra flammigeri proles Perſeïa Solis,
Quem rogitas, Carmejus, ait; mos, comminus arma
Semper habere viro, ſemper meminiſſe pharetræ.
Quid Latagum? quid ſi amnigenam mirere Choaſpem?
Bellatoris equi potantem cerne cruores:

Nec tamen immiſſis hic ſegnior ibit habenis.
Illum, ait Æſonides, pariter refer: horrida ſignis
Cui chlamys, & multa ſpirat coma flexilis aura.
Reſpicit Æetes, atque hunc quoque nomine reddit:
Dives Aron; croceos ſic illius omnis odores
Jactat eques; unctis ſic eſt coma culta maniplis:
Sed nec ſperne virum, & comtis diffide capillis.
Campeſus hic ſpoliis in tigridis; ille profundo
Incumbens Odruſſa mero: viden' alta comantem
Pectora, & ingenti turbantem pocula barba?
Hic & Iaxarten dictis ſtupet hoſpes acerbis
Immodicum, linguaque gravem; cui nulla minanti
Non Superûm, non præſentis reverentia belli.
Contra autem Æetes, Non fruſtra magna ſuperbo
Dicta volant, ait, & vocem paria arma ſequuntur:
Nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget:
Atque ubi Rhipæa ſtupuerunt flumina bruma,
Jam pavidi cum prole Getæ, jam pervigil illum
Medus, & oppoſitis exſpectat Hiberia clauſtris.
Hos autem quæ quemque manus, quæ ſigna ſequantur,
Si memorem; prius humentem lux ſolverit umbram.
Cras acies, atque illa ducum cras regna videbis
Diſſona; ſaxiferæ ſurgat quibus imber arenæ;
Quæ jaculo gens apta levi, quæ picta pharetris
Venerit: ingentes animo jam proſpice campos,
Atque hanc alipedi pulſantem corpora curru
Euryalen, quibus exſultet Mavortia turmis,
Et quantum elata valeat peltata ſecuri,
Cara mihi & veras inter non ultima natas.
Fatur, & occiduo libat cratera parenti.

Quiſque ſuis tum vota Deis & pocula fundit;
Dent aciem, dent belligeros ſuperare labores.
Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris,
Ingentemque trahens Arctoa per æquora nubem;
Aſpicit Ææa Minyas ſtupefactus in urbe,
Ambitumque ſenem, promiſſaque vellera puppi
Theſſalicæ: citus ad ſummi ſtellantia patris
Tecta ruit, queſtuque Jovem teſtatur acerbo:
Quæ ſtudiis, rex magne, quies? jam mutua Divi
Exitia in ſolos hominum molimur honores:
Teque ea cuncta juvant, rabidam qui Pallada cœlo
Non abigis, neque femineis jus objicis auſis.
Non querar, exſtructa quod vexerit ipſa carina
Vellera ſacra meis ſperantem avertere lucis,
Quodque palam tutata viros: ſic cetera pergat,
Si valet, inſidiis quæ nunc fallacibus ambit,
Noſtra ut Phrixeo ſpolientur templa metallo.
Non opus auxilio Colchis, nec fœdere veſtro:
Et Perſen ſimul, & Minyas depoſcimus hoſtes.
Quin age; quid tantæ coeunt in prœlia gentes?
Quid tuus Æſonides? imus nos, protinus imus,
In nemus auriferum, & ſumtis decernimus armis?
Vel tu ſola polo tacitis inopina tenebris
Labere; quantus ibi Deus experiere; nec illas
Adſtiteris impune trabes, an Martia templa
Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, & agger
Quod rudis; & ſola colimur ſi gentibus umbra?
Eſt amor, & rerum cunctis tutela ſuarum:
Et tibi, magne pater, terris donaria certant;
Eſt honor his etiam ſuus. anne ego clara Mycenes

Culmina, virgineas præder ſi Cecropis arces,
Jam conjux, jam te gemitu lacrimiſque tenebit
Nata querens? metuant ergo, nec talia poſcant.
Non tulit hæc animis, quin longa ſilentia Pallas
Rumperet, irridens ſtrepitumque minaſque Gradivi:
Non tibi Biſtonidæ, quibus hæc fera murmura jactes,
Non Lapithæ, ſed Pallas, ait; neque ego ægide digna,
Nec vocer ulterius proles Jovis, excidat iſte
Ni tibi corde tumor: lituos mox armaque faxo
Oderis, & primis adimam tua nomina bellis.
Quin ſimili matrem demens gravitate ſecutus:
Digna quidem monſtrum ſuperis quæ tale creavit.
Quod tamen aggreſſæ ſcelus, aut quo crimine ſontes,
Si juvenem, qui juſſa ſui tam dira tyranni
Impavidus, maria & nondum qui nota ſubibat,
Juvimus, & magnis aliquam ſpem movimus auſis?
An nullas præferre preces, nec fœdera regis
Ulla ſequi? cæca ſed cuncta impellere pugna
Debuimus? ſic Thraces agunt, ſic turbidus iſte,
Si qua petit. cuperem hæc etiam nunc bella remitti,
Nec ſocias armare manus. da vellera, rector,
Et medio nos cerne mari. quod ſin ea Mavors
Abnegat, & ſolus noſtris ſudoribus obſtat;
Ibimus indecores, fruſtraque tot æquora vectæ,
* Faſſaque quæ nequeam? ſic femina. cœperat ardens
Hic iterum alternis Mavors inſurgere dictis.
Excipit hinc contra pater, & ſic voce coercet:
Quid veſane fremis? cum vos jam pœnitet acti,
Peccatumque ſatis; tunc ad mea jura venitis.
Quolibet iſta modo, quacunque impellite pugna,

Quæ cœpiſtis; habent quoniam ſua fata furores.
Te tamen hoc, conjux, & te, mea nata, monebo:
Sit Perſen pepuliſſe ſatis; nec vana retentet
Spes Minyas, finemve velint imponere bello.
Illum etenim talis rerum manet (accipite) ordo.
Victa retro nunc caſtra dabit, bellumque remittet,
Territus adventu ducis & virtute Pelaſgi:
Mox ubi Theſſalicis referent hos flamina terris,
Tunc aderit, victorque domos & ſceptra tenebit:
Donec & Æeten inopis poſt longa ſenectæ
Exſilia (heu magnis quantum licet in pia fatis!)
Nata juvet; Grajuſque nepos in regna reponat.
Hic labor, amborumque hæc ſunt diſcrimina fratrum:
Vadite, & adverſis, ut quis volet, irruat armis.
Dixerat. inſtaurat menſas, pacemque reducit;
Et jam ſideream noctem dimittit Olympo.
Tunc aſſuetus adeſt Phlegræas reddere pugnas;
Muſarum chorus, & citharæ pulſator Apollo:
Fertque gravem Phrygius circum cratera miniſter.
Surgitur in ſomnos, ſeque ad ſua limina flectunt.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER SEXTUS.

Digitized by Google

LIBRI SEXTI
ARGUMENTUM
ÆGIDIO MASERIO
AUCTORE.

Mars furiis agitur. Minyarum fœdera Perſes
Quæritat. auxilium Scythicis perfertur ab oris.
Æſoniden Pallas ſequitur : fratremque Medontis
Candenti deturbat equo ſemotus Amyclis
Caſtor. Styre, fugis : nec cæſum credis Anauſim
Saucius. in Minyas compellit Iazyga Mavors
Geſandrum. Canthus rapitur. pro corpore pugna
Exoritur. curru Euryale indignata receptum
Vindicat : inque tui falces, Ariaſmene, currus,
Laberis. ignotis Juno implet Colchida curis.
Miratur virgo pugnas. cadit enſe Colaxes
Æſonio. damnat Divorum oracula Perſes.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER VI.

At vigil iſdem ardet Furiis Gradivus, & acri
Corde tumet; nec quas acies, quæ caſtra ſequatur,
Invenit: ire placet tandem, præſenſque tueri,
Sternere ſi Minyas, magnoque rependere luctu
Regis pacta queat; Grajamque abſumere pubem.
Impulit hinc currus, monſtrum irrevocabile belli
Concutiens, Scythiæque ſuper tentoria ſiſtit.
Protinus e caſtris fugit ſopor: excita tela;
Turbati coiere duces: hos inſuper ingens
Fama movet, rate quæ ſacra vulgabat Achivos
Adveniſſe, ſui repetentes vellera Phrixi;
Quos malus hoſpitio junctaque ad fœdera dextra
Luſerit Æetes, atque in ſua traxerit arma.
Ergo, conſiliis dum nox vacat alta movendis,
Legatos placet ire duces: mandataque Perſes
Edocet, affari Minyas, fraudemque tyranni

Digitized by Google

Ut moneant; quinam hinc animos averterit error;
Se primum Hæmoniis hortatum ea vellera terris
Reddere, & exuvias pecudis dimittere ſacræ:
Hinc odium, & tanti veniſſe exordia belli.
Quin potius dextramque ſuam, ſuaque arma ſequantur,
Aut remeent. neque enim Æetæ promiſſa fidemque
Eſſe loco; abſtineant alienæ a ſanguine pugnæ.
Non illos ideo tanti veniſſe labores
Per maris. ignotis quid opus concurrere, nec quos
Oderis? hæc medio Perſes dum tempore mandat,
Aureus effulſit campis rubor; armaque & acres
Sponte ſua ſtrepuere tubæ. Mars ſævus ab altis,
Hoſtis io, conclamat, equis, agite, ite, propinquat:
Ac ſimul hinc Colchos, hinc fundit in æquora Perſen:
Tunc & quiſque ſuis committit prœlia telis,
Voxque Dei pariter pugnas audita per omnes.
Hinc, age, Rhipæo quos videris orbe furores,
Muſa, mone; quanto Scythiam molimine Perſes
Concierit, quîs fretus equis per bella viriſque.
Verum ego nec numero memorem, nec nomine cunctos,
Mille vel ora movens. neque enim plaga gentibus ulla
Ditior: æterno quanquam Mæotia pubes
Marte cadat; pingui nunquam tamen ubere deſit,
Quod geminas Arctos, magnumque quod impleat anguem.
Ergo duces ſolaſque, Deæ, mihi promite gentes.
Miſerat ardentes, mox ipſe ſecutus, Alanos,
Heniochoſque truces, jampridem infenſus Anauſis;
Pacta quod Albano conjux Medea tyranno:
Neſcius, heu quanti thalamos aſcendere monſtri
Arſerit, atque urbes maneat qui terror Achæas;

Gratior ipſe Deis, orbaque beatior aula.
Proxima Biſaltæ regio, ductorque Colaxes,
Sanguis & ipſe Deûm; Scythicis quem Juppiter oris
Progenuit, viridem Myracen Tibiſenaque juxta
Oſtia, ſemifero (dignum ſi credere) captus
Corpore: nec Nymphæ geminos exhorruit angues.
Cuncta phalanx inſigne Jovis, cælataque geſtat
Tegmina diſperſos trifidis ardoribus ignes:
Nec primus radios, miles Romane, coruſci
Fulminis, & rutilas ſcutis diffunderis alas.
Inſuper auratos collegerat ipſe dracones,
Matris Horæ ſpecimen: linguiſque adverſus utrinque
Congruit, & tereti ſerpens dat vulnera gemmæ.
Tertius unanimis veniens cum millibus Auchus
Cimmerias oſtentat opes; cui candidus olim
Crinis ineſt, natale decus: dat longior ætas
Jam ſpatium, triplici percurrens tempora nodo:
Demittit ſacro geminas a vertice vittas.
Dathin Achæmeniæ gravior de vulnere pugnæ
Miſit in arma Daraps; acies quem Martia circum
Gangaridûm, potaque Gerys quos efferat unda,
Quique lacum cinxere Bicen. non defuit Anxur,
Non Rhodalo cum fratre Sydon: Aceſinaque lævo
Omine fatidicæ Phrixus movet agmina cervæ.
Ipſa comes, ſætis fulgens & cornibus aureis,
Ante aciem celſi vehitur geſtamine conti
Mœſta, nec in ſævæ lucos reditura Dianæ.
Movit & Hylæa ſupplex cum gente Syenen
Impia germani prætentans vulnera Perſes.
Denſior haud uſquam, nec celſior extulit ullas

Silva trabes; feſſæque prius rediere ſagittæ,
Arboris ad ſummum quam pervenere cacumen.
Quin & ab Hyrcanis Titanius expulit antris
Cyris in arma viros: plauſtriſque ad prœlia cunctas
Coraletæ traxere manus: ibi ſutilis illis
Et domus, & crudo reſidens ſub vellere conjux,
Et puer e primo torquens temone cateias.
Linqnitur abruptus pelago Tyra; linquitur & mons
Ambenus, & gelidis pollens Ophiuſa venenis.
Degenereſque ruunt Sindi; glomerantque paterno
Crimine, nunc etiam metuentes verbera turmas.
Hos ſuper æratam Phalces agit æquore nubem
Cum fremitu; denſique levant vexilla Coralli:
Barbaricæ quîs ſigna rotæ, ferrataque dorſo
Fotma ſuum, truncæque Jovis ſimulacra columnæ:
Prœlia nec rauco curant incendere cornu;
Indigenas ſed rite duces & priſca ſuorum
Facta canunt, veterumque viris hortamina laudes.
Aſt ubi Sidonicas inter pedes æquat habenas;
Illinc juratos ſecum trahit Æa Baternas:
Quos, duce Teutagono, crudi mora corticis armat,
Æquaque, nec ferro brevior nec rumpia ligno.
Nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas,
Hiberni qui terga Noæ, gelidumque ſecuri
Eruit, & tota non audit Alazona ripa:
Quoſque Taras, niveûmque ferax Evarchus olorum.
Te quoque venturis, ingens Ariaſmene, ſeclis
Tradiderim, molem belli, lateque ferentem
Undique falcatos deſerta per æquora currus.
Inſequitur Drancæa phalanx, clauſtriſque profuſi

Caſpiadæ: quîs turba canum non ſegnius acres
Exſilit ad lituos, pugnaſque capeſſit heriles.
Inde etiam par mortis honos; tumuliſque recepti
Inter avos poſituſque virûm: nam pectora ferro,
Terribileſque innexa jubas ruit agmine nigro
Latratuque cohors: quanto ſonat horrida Ditis
Janua, vel ſuperas Hecates comitatus ad auras.
Ducit ab Hyrcanis vates ſacer agmina lucis
Yarus: eum Scythiæ jam tertia viderat ætas
Magnanimos Minyas Argoaque vela canentem.
Illius & dites monitis ſpondentibus Indi,
Et centumgeminæ Lagea novalia Thebes,
Totaque Rhipæo Panchaïa rapta triumpho.
Diſcolor haſtatas effudit Hiberia turmas;
Quas Otaces, quas Latris agunt, & raptor amorum
Neurus, & expertes canentis Iazyges ævi.
Namque, ubi jam vireſque aliæ, notoſque refutat
Arcus, & inceptus jam lancea temnit heriles,
Magnanimis mos ductus avis, haud ſegnia mortis
Jura pati; dextra ſed caræ occumbere prolis,
Enſe dato: rumpuntque moras natuſque parenſque,
Ambo animis, ambo miſeri tam fortibus actis.
Hic & odorato ſpirantes crine Micelæ,
Ceſſææque manus; & qui tua jugera nondum
Eruis, ignotis inſons, Arimaſpe, metallis.
Doctus & Auchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, & extremas laqueis adducere turmas.
Non ego ſanguineis geſtantem tympana bellis
Thyrſageten, cinctumque vagis poſt terga ſilebo
Pellibus, & nexas viridantem floribus haſtas.

Fama, ducem, Jovis & Cadmi de ſanguine, Bacchum;
Hac quoque turiferos, felicia regna, Sabæos,
Hac Arabas fudiſſe manu: mox rumperet Hebri
Cum vada, Thyrſagetas gelida liquiſſe ſub Arcto.
Illis omnis adhuc veterum tenor, & ſacer æris
Pulſus, & Eoæ memoratrix tibia pugnæ.
Jungit opes Eumeda ſuas: ſua ſigna ſecuti
Exomatæ, Torinique, & flavi crine Satarchæ:
Mellis honos Torinis; ditant ſua mulctra Satarchen;
Exomatas venatus alit. nec clarior ullis
Arctos equis: abeunt Hypanin, fragilemque per undam;
Tigridis aut ſævæ profugi cum prole leænæ:
Mœſtaque ſuſpectæ mater ſtupet aggere ripæ.
Impulit & dubios Phrixei velleris ardor
Centoras, & diros magico terrore Choatras.
Omnibus in ſuperos ſævus honor; omnibus artes
Monſtrificæ: nunc vere novo compeſcere frondes;
Nunc ſubitam trepidis Mæotin ſolvere plauſtris.
Maximus hos inter Stygia venit arte Coaſtes:
Sollicitat nec Martis amor; ſed fama Cytææ
Virginis, & paribus ſpirans Medea venenis.
Gaudet Averna palus, gaudet jam nocte quieta
Portitor, & tuto veniens Latonia cœlo.
Ibant & geminis æquantes cornibus alas
Ballonoti; comitumque celer mutator equorum
Mœſus; & ingentis frenator Sarmata conti:
Nec tot ab extremo fluctus agit æquore, nec ſic
Fratribus adverſa Boreas reſpondet ab unda;
Aut is apud fluvios volucrum ſonus; æthera quantus
Tunc lituûm concentus adit, lymphataque miſcet

Millia : quot foliis, quot floribus incipit annus.
Ipſe rotis gemit intus ager; tremebundaque pulſu
Nutat humus : quatit ut ſævo cum fulmine Phlegram
Juppiter, atque imis Typhona reverberat arvis.
Prima tenent illinc patriis Abſyrtus in armis,
Et gener; ingenteſque inter ſua millia reges.
At circa Æſoniden Danaûm manus, ipſaque Pallas
Ægide terrifica; quam nec Dea laſſat habendo,
Nec pater horrentem colubris vultuque tremendam
Gorgoneo. nec femineces oſtendere crines.
Tempus adhuc; primaſque ſinit concurrere pugnas.
Impulit hos contra Mavors pater, & mala leti
Gaudia, Tiſiphoneque caput per nubila tollens.
Ad ſonitum litui, mediaque altiſſima pugna:
Necdum clara, quibus ſeſe fuga mentibus addat.
Illi ubi confertis junxere frementia telis
Agmina, virque virum galeis afflavit adactis;
Continuo hinc obitus, perfractaque cædibus arma,
Corporaque, alternus cruor, alternæque ruinæ:
Volvit ager galeas, & thorax egerit imbres
Sanguineos. hinc barbarici glomerantur ovatus,
Hinc gemitus, mixtæque virûm cum pulvere vitæ.
Caſpius Ææum correpto crine Moneſen
Abſtulit; hunc pariter Colchi Grajique ſequuntur
Miſſilibus : rapit ille necem, prædamque relinquit:
Nec ſociis jam cura viri. Dypſanta Careſus,
Strymonaque obſcura ſpargentem vulnera funda
Dejicit : Albani cadit ipſe Cremedonis haſta:
Jamque latet; curruſque ſuper turmæque feruntur.
Proceſſere Melas & Hidaſmenus; incipit haſta

Ante Melas: levis aſt abies eluſit utrumque;
Enſibus inde ruunt: prior occupat ære citato
Caſſidis ima Melas; infracta eſt vulnere cervix;
Mixta perit virtus: neſcit cui debeat Œbreus,
Aut cui fata Tyres. dum ſibila reſpicit Iron
Cuſpidis Argivæ, Pyliam latere accipit haſtam.
Viderat Hyrcanos paribus diſcurrere fratres
Caſtor equis; pater armento quos dives ab omni
Nutrierat, ſatiſque viam monſtrarat iniquis:
Tum magis atque magis peditem candore notato
Tyndariden incendit amor: ſimul obvius haſtam
Pectus in adverſum Gelæ jacit alipedemque:
Conſtitit excuſſo victor duce: riſit ab alta
Nube pater, prenſiſque equitem cognovit habenis.
At pariter luctuque furens viſuque Medores
Tyndariden petit, & ſuperos ſic voce precatur:
Hunc, age, vel cæſo comitem me reddite fratri:
Primus & hic noſtra ſonipes cadat impius haſta,
Credita qui miſero non rettulit arma parenti,
Meque venit contra, captivaque terga miniſtrat.
Dixerat: Actæi ſed eum prior haſta Phaleri
Dejicit: ad ſocias ſonipes citus effugit alas.
Quis tibi fatales unquam metuiſſet Amyclas
Œbaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus inter
Diviſo, totidemque fretis? cadit impiger una
Inguine transfoſſo clari Taulantis alumnus
Semidea genitrice Tages; cui plurima ſilvis
Pervigilat materna ſoror, cultuſque laborat.
Tenuia non illum candentis carbaſa lini,
Non auro depicta chlamys, non flava galeri

Cæſaries, pictoque juvant ſubtemine bracæ.
Jamque novus mediæ ſtupefacta per agmina pugnæ
Vadit eques, denſa ſpargens haſtilia dextra,
Fulmineumque viris proturbans ingerit enſem
Huc alternus & huc: cum ſævior, ecce, juventus
Sarmaticæ coiere manus, fremituſque virorum
Semiferi: riget his molli lorica catena;
Id quoque tegmen equis; at equi porrecta per armos
Et caput ingentem campis hoſtilibus umbram
Fert abies obnixa genu; vaditque virûm vì,
Vadit equûm, docilis relegi dociliſque relinqui,
Atque iterum medios non altior ire per hoſtes.
Orbibus hos rapidis, mollique per æquora Caſtor
Anfractu levioris equi deludit anhelos,
Immemoreſque mori: ſed non îſdem artibus æque
Concurrunt, ultroque ruunt in funera Colchi.
Campeſus, impacta latus inter & ilia quercu,
Tollitur, ac mediam moriens deſcendit in haſtam.
Œbaſus, infeſtum ſubmiſſo poplite Phalcen
Evaſiſſe ratus, lævum per luminis orbem
Tranſigitur; teneræ liquuntur vulnere malæ.
Contra autem geminis fidens thoracibus, ictum
Suſtulit, & gladio Sibotes ferit ultima teli,
Nequidquam: jam cuſpis ineſt, nec fragmina curat
Ambenus, & trunco medium ſubit Otrea ligno.
Seminecem Taxes Hypanin vehit, atque remiſſum
Pone trahit fugiens, & curſibus exuit haſtam:
Dumque recollectam rurſus locat; irruit ultro,
Turbatumque Lacon, & adhuc invadit inermem.
Impulit adverſo præceps equus Onchea conto,

Nequidquam totis revocantem viribus armos.
In latus accedit ſonipes; accedit & ipſe
Frigidus: arma cadunt; rorat procul ultima cuſpis.
Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ,
Si quis avem ſummi deducat ab aere rami,
Ante manu tacita cui plurima crevit arundo;
Illa dolis viſcoque ſuper correpta ſequaci
Implorat ramos, atque irrita concitat alas.
Parte alia infeſtis (nam ſors ita junxit) in armis
Styrus adeſt, lætuſque virum cognoſcit Anauſin;
Et prior: En cujus thalamis Æetia virgo
Dicta manet, noſtroſque feret qui victor amores.
Non, ait: invitoque gener mutabere patri.
Tum ſimul adverſas collatis curſibus haſtas
Conjiciunt: fugit adductis Albanus habenis
Saucius, atque datum leto non ſperat Anauſin;
Nec videt. ille autem telo moribundus adacto,
Ad ſoceros, pactæque ſinus en conjugis, inquit,
Styre, fugis; vulnus referens, quod carmine nullo
Suſtineat, nulliſque levet Medea venenis.
Dixerat: extremus cum lumina corripit error;
Voxque repreſſa gelu, percuſſaque vertice tellus.
Hinc animos acies auget; magnoque doloris
Turbine Geſandrum Mavors rapit: ille morantes
Increpat, & ſtricto ſic urget Iazygas enſe:
Nempe omnes cecidere ſenes, nempe omnis ademtus
Ante pater. quæ vos ſubito tam fœda ſenectus
Corripuit, fregitque animos, atque abſtulit iras?
Aut mecum mediam, juvenes, agite, ite per urbem,
Argolicamque manum; aut caris occumbite natis.

Digitized by Google

Irruit, & patrias cœptis ferus advocat umbras:
Sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
Suggere nunc, animamque parem; ſi fata peroſo
Tarda tibi turpeſque moras non ſegnius ipſi
Paruimus, parvique viam didicere nepotes.
Hæc ait, auditurque Erebo: tunc corripit enſem
Turbidus, & Furiis ardens quatit arma paternis.
Indigenis ſacratus aquis, magnique ſacerdos
Phaſidis Arctoïs Aquites errabat in armis;
(Populeus cui frondis honor, conſpectaque glauco
Tempora nectuntur ramo) te, Cyrne, parentis
Immemorem duræ cupiens abducere pugnæ;
Jamque omnes impune globos diverſaque luſtrans
Agmina, quem quærit, nuſquam videt, atque iterum inſtat
Vociferans, iterum belli diverſa peragrat:
Lancea cæruleas circum ſtrepit incita vittas.
Opprimit admiſſis ferus hunc Geſander habenis.
Ille manum trepidans atque irrita ſacra tetendit:
Teque per hanc, inquit, genitor, tibi ſi manet, oro
Canitiem, compeſce minas, & ſicubi nato
Parce meo. dixit. contra ſic victor adacto
Enſe refert: Genitor, turpi durare ſenecta
Quem mihi reris adhuc, ipſe hac occumbere dextra
Maluit, atque ultro ſegnes abrumpere metas.
Et tibi ſi pietas nati, ſi dextra fuiſſet,
Haud medii precibus tereres nunc tempora belli;
Præda future canum. juveni ſors pulchrior omni;
Et certare manu decet, & caruiſſe ſepulcro.
Dixerat: ille Deos moriens cœlumque precatur,
Dextera ne miſero talis foret obvia nato.

Te quoque, Canthe, tui non inſcia funeris Argo
Flevit, ab invita rapientem tela carina:
Jam Scythicos miſerande ſinus, jam Phaſidis amnem
Contigeras: nec longa dies, ut capta videres
Vellera, & Euboicis patrios de montibus ignes.
Illum, ubi congreſſu ſubiit Geſander iniquo,
Territat his: Tu, qui faciles hominumque putaſti
Has, Argive, domos, alium hic miſer aſpicis annum;
Altricemque nivem, feſtinaque tædia vitæ.
Non nos aut levibus componere brachia remis
Novimus, aut ventos opus exſpectare ferentes:
Imus equis, qua vel medio riget æquore pontus,
Vel tumida fremit Hiſter aqua: nec mœnia nobis
Veſtra placent: feror Arctois nunc liber in arvis
Cuncta tenens mecum: omnis amor jacturaque plauſtri
Sola; nec hac longum victor potiere rapina.
Aſt epulæ quodcunque pecus, quæcunque ferarum.
Mitte Aſiæ, mitte Argolicis mandata colonis,
Ne trepident. nunquam has hiemes, hæc ſaxa relinquam
Martis agros: ubi jam ſævo duravimus amne
Progeniem, natoſque rudes: ubi copia leti
Tanta viris? ſic in patriis bellare pruinis
Prædarique juvat: talemque hanc accipe dextram.
Dixit, & Edonis nutritum miſſile ventis
Concitat: it medium per pectus & horrida nexu
Letifer æra chalybs. trepidus ſuper advolat Idas,
Ac ſimul Œnides, pariterque Menœtius, & qui
Bebrycio propius remeavit ab hoſpite victor.
At vero ingentem Telamon procul extulit orbem;
Exanimem te, Canthe, tegens: ceu ſeptus in arcto,

Dat catulos poſt terga leo. ſic comminus haſtam
Æacides greſſumque tenet, contraque ruentem
Septeno validam circumfert tegmine molem.
Nec minus hinc urget Scythiæ manus, armaque Canthi,
Quiſque ſibi & Grajo pœnam de corpore poſcens.
Arduus inde labos: medioque in corpore pugna
Conſeritur. magno veluti cum turbine ſeſe
Ipſius Æoliæ frangunt in limine venti,
Quem pelagi rabies, quem nubila, quemque ſequatur
Illa dies: obnixa virûm ſic comminus hæret
Pugna; nec arrepto velli de corpore poſſunt.
Ut bovis exuvias multo qui frangere olivo
Dat famulis: tendunt illi, tractuque viciſſim
Taurea terga domant: pingui fluit unguine tellus.
Talis utrinque labos, raptataque limite in arcto
Membra viri miſeranda meant. hi tendere contra,
Hi contra; alternæque virûm non cedere dextræ.
Hinc medium Telamon Canthum rapit; hinc tenet ardens
Colla viri, & molles galeæ Geſander habenas:
Inſonuit quæ lapſa ſolo, dextramque feſellit.
Ille iterum in clypei ſeptemplicis improbus orbem
Arietat, & Canthum ſequitur, Canthumque repoſcit:
Quem manus a tergo ſociûm rapit, atque receptum
Virginis Euryales curru locat: advolat ipſa,
Ac ſimul Hæmonidæ: Geſandrumque omnis in unum
It manus. ille novas acies & virginis arma
Ut videt, Has etiam contra bellabimus? inquit.
Heu pudor! inde Lycen ferit ad confine papillæ;
Inde Thoen, qua pelta vacat. jamque ibat in Harpen,
Vixdum prima levi ducentem cornua nervo,

Illabentis equi tendentem frena & Henippen:
Cum regina, gravem nodis auroque ſecurim
Congeminans, partem capitis galeæque ferinæ
Diſſipat. hic pariter telorum immanis in unum
It globus: ille diu conjectis ſufficit haſtis:
Quîs gravior, nutuque cadens exterruit Idam.
Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri;
Quæ ſcopulis trabibuſque diu confectaque flammis
Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem.
Ecce locum tempuſque ratus, jamque & ſua poſci
Prœlia, falcatos infert Ariaſmenus axes,
Sævaque diffundit ſociûm juga, protinus omnes
Grajugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.
Qualiter, exoſus Pyrrhæ genus, æquora rurſus
Juppiter atque omnes fluviûm ſi fundat habenas,
Ardua Parnaſi lateant juga, ceſſerit Othrys
Piniger, & merſis decreſcant rupibus Alpes.
Diluvio tali, paribuſque Ariaſmenus urget
Excidiis, nullo rapiens diſcrimine currus.
Ægida tum primum virgo ſpiramque Meduſæ
Tercentum ſævis ſqualentem ſuſtulit hydris,
Quam ſoli vidiſtis equi: pavor occupat ingens
Excuſſis in terga viris; diramque retorquet
In ſocios non ſponte luem. tunc enſibus uncis
Implicat, & trepidos lacerat diſcordia currus.
Romanas veluti ſæviſſima cum legiones
Tiſiphone regeſque movet; quorum agmina pilis,
Quorum aquilis utrinque micant, eademque parentis
Rura colunt; idem lectos ex omnibus agris
Miſerat infelix non hæc ad prœlia Tibris.

Sic modo concordes externaque fata petentes
Palladii rapuere metus; ſic in ſua verſi
Funera concurrunt dominis revocantibus axes.
Non tam fœda virûm Laurentibus agmina terris
Ejecere Noti; Libyco nec talis imago
Litore, cum fractas involvunt æquora puppes.
Hinc bijuges, illinc artus tenduntur heriles,
Quos radii, quos frena ſecant; trahiturque trahitque
Currus cæde madens; atroque in pulvere regum
Viſcera nunc aliis, aliis nunc curribus hærent.
Haud uſquam Colchorum animi: neque cura cavere
Tela; ſed implicitos miſeraque in peſte revinctos
Confodiunt: ac forma necis non altera ſurgit,
Quam cervos ubi non Umbro venator edaci,
Non penna petit; hærentes ſed cornibus altis
Invenit, & cæca conſtrictos excipit ira.
Ipſe recollectis audax Ariaſmenus armis
Deſilit: illum acies curvæ ſecat undique falcis;
Partiturque rotis: atque inde furentia raptus
In juga Circæos tetigit non amplius agros.
Talia certatim Minyæ ſparſique Cytæi
Funera miſcebant campis, Scythiamque premebant:
Cum Juno Æſonidæ, non hanc ad vellera cernens
Eſſe viam, nec ſic reditus regina parandos,
Extremam molitur opem; funeſta priuſquam
Conſilia, ac feras aperit rex perfidus iras.
Increpat & ſævis Vulcanum mœſta querelis,
Cujus flammiferos videt inter regia tauros
Paſcua Tartaream proflantes pectore noctem.
Hæc etenim Minyas ne jungere Marte peracto

Monſtra ſatis jubeat Cadmei dentibus hydri,
Ante diem timet, & varias circumſpicit artes:
Sola animo Medea ſubit: mens omnis in una
Virgine; nocturnis qua nulla potentior aris.
Illius ad fremitus ſparſoſque per avia ſuccos
Sidera fixa pavent, & avi ſtupet orbita Solis:
Mutat agros fluviûmque vias; ſuus alligat igni
Cuncta ſopor: recoquit feſſos ætate parentes,
Datque alias ſine lege colus. hanc maxima Circe
Terrificis mirata modis, hanc advena Phrixus;
Quamvis Atracio lunam ſpumare veneno
Sciret, & Hæmoniis agitari cantibus umbras.
Ergo opibus magicis & virginitate tremendam
Juno duci ſociam conjungere quærit Achivo.
Non aliam tauris videt & naſcentibus armis
Quippe parem. medio quam ſi ſtet in agmine flammæ,
Nullum mente nefas, nullos horreſcere viſus.
Quid ſi cæcus amor, ſævuſque acceſſerit ignis?
Hinc Veneris thalamos, ſemperque recentia ſertis
Tecta petit. viſa jamdudum proſilit altis
Diva toris, volucrumque exercitus omnis Amorum.
Ac prior hanc placidis ſupplex Saturnia dictis
Aggreditur, veros metuens aperire timores:
In manibus ſpes noſtra tuis, omniſque poteſtas
Nunc, ait. hoc etiam magis annue vera fatenti.
Durus ut Argolicis Tirynthius exſulat oris;
Mens mihi non eadem Jovis, atque averſa voluntas:
Nullus honor thalamis, flammæve in nocte priores.
Da, precor, artificis blanda adſpiramina formæ,
Ornatuſque tuos, terra cœloque potentes.

Senſit Diva dolos, jam pridem ſponte requirens
Colchida & inviſi genus omne exſcindere Phœbi.
Tum vero optatis potitur; nec paſſa precari
Ulterius, dedit acre decus fœcundaque monſtris
Cingula; non pietas quibus, aut cuſtodia famæ,
Non pudor: at contra levis & feſtina cupido,
Affatuſque mali, dulciſque labantibus error,
Et metus, & demens alieni cura pericli.
Omne, ait, imperium, natorumque arma meorum
Cuncta dedi: quaſcunque libet nunc concute mentes.
Cingitur arcanis Saturnia læta venenis,
Atque hinc virgineæ venit ad penetralia ſedis,
Chalciopen imitata ſono formaque ſororem.
Fulſit ab invita lumen procul: & pavor artus
Protinus, atque ingens Æetida perculit horror.
Ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus, inquit,
Adveniſſe, ſoror, nec noſtro ſola parenti
Scis ſocias junxiſſe manus? at cetera muros
Turba tenet, fruiturque virûm cœleſtibus armis.
Tu thalamis ignava ſedes, tu ſola paterna
Fixa domo? tales quando tibi cernere reges?
Illa nihil contra; nec enim Dea paſſa: manumque
Implicat, & rapidis mirantem paſſibus aufert.
Ducitur infelix ad mœnia ſumma futuri
Neſcia virgo mali, & falſæ commiſſa ſorori.
Lilia per vernos lucent velut alba colores,
Præcipue queîs vita brevis, totuſque parumper
Floret honor, fuſcis & jam Notus imminet alis.
Hanc reſidens altis Hecate Perſeïa lucis
Flebat, & has imo referebat pectore voces:

Deſeris, heu, noſtrum nemus æqualeſque catervas;
Ah miſera, ut Grajas haud ſponte vageris ad urbes!
Non injuſſa tamen: neque te, mea cura, relinquam.
Magna fugæ monumenta dabis; ſpernere nec uſquam
Mendaci captiva viro: meque ille magiſtram
Sentiet, & raptu famulæ doluiſſe pudendo.
Dixerat. aſt illæ murorum extrema capeſſunt,
Defixæque virûm lituûmque fragoribus horrent.
Quales inſtanti nimborum frigore mœſtæ
Succedunt ramis, hærentque pavore volucres.
Jamque Getæ, jamque omnis Hiber, Drancæaque denſa
Strage cadit legio, & latis proſternitur arvis:
Semineces dupliceſque inter ſua tela, ſuoſque
Inter equos ſævam miſero luctamine verſant
Congeriem, & longis campos ſingultibus implent.
Victores contra patriûm Pæana Geloni
Congeminant: eadem redeunt mox gaudia victis,
Qua Deus & melior belli reſpexit imago.
Quis tales obitus dederit, quis talia facta,
Dic, age, tuque feri reminiſcere, Muſa, furoris.
Abſyrtus clypei radiis curruque coruſcus
Solis avi; cujus vibrantem comminus haſtam
Cernere, nec galeam gentes potuere minantem;
Sed trepidæ redeunt, & verſo vulnera tergo
Accipiunt, magniſque fugam clamoribus augent:
Proterit impulſu gravis agmina, corporaque atris
Sternit equis, gemituſque premit ſpirantis acervi.
Nec levior comitatur Aron; horrentia cujus
Diſcolor arma ſuper, ſqualenteſque ære lacertos,
Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento

Implet equum. qualis roſeis it Lucifer alis,
Quem Venus illuſtri gaudet producere cœlo.
At non inde procul Rhamelus & acer Otaxes
Diſpulerant Colchos, pariterque inglorius Armes;
Fraude nova ſtabula & furtis aſſuetus inultis
Depopulare greges: frontem cum cornibus auxit
Hiſpidus, inque Dei latuit terrore Lycei.
Hac tunc attonitos facie defixerat hoſtes.
Quem ſimul ignota formidine bella moventem
Vidit Aron; Pavidos te, inquit, nunc rere magiſtros,
Et ſtolidum petiiſſe pecus. non paſcua, nec ſeps
Hic tibi: nocturnis mitte hæc ſimulacra rapinis;
Neve Deum mihi finge; Deus quoque conſere dextram.
Sic ait: intentaque adjutum miſſile planta
Dirigit, & lapſis patuerunt vulnera villis.
Nec minus Æolii proles Æetia Phrixi
Fertur & ipſa furens; ac ſe modo læta Cytæis
Agminibus, modo cognatis oſtentat Achivis.
Atque hos, in medio duri diſcrimine belli,
Laudibus inque ipſis, gaudens ubi vidit Iaſon;
Macte, ait, o noſtrum genus, & jam certa propago
Æoliæ, nec opina, domus: ſat magna laborum
Dona fero, ſatis hoc viſu quæcunque rependo.
Dixit, & in Sueten, magnique in fata Ceramni
Emicuit; clypeumque rotans, hunc poplite cæſo
Dejicit, illum aperit lato per pectus hiatu.
Argus utrumque ab equis ingenti porrigit arvo
Et Zacorum & Phalcen, peditem pedes haurit Amaſtrum.
Sanguinis ille globos, effuſaque viſcera geſtat,
Barbarus & caſſa frendens ſublabitur ira.

Dat Calais Bariſanta neci, ſemperque propinquas
Rhipea venali comitantem ſanguine pugnas.
Centum lecta boum bellator corpora, centum
Pactus equos; his ille animam lucemque rependit
Crudelis: tandem dulces jam caſſus in auras
Reſpicit, ac nulla cœlum reparabile gaza.
Labitur intortos per tempora cærula crines
Tunc quoque materna velatus arundine Peucron.
At genitrix imis pariter Mæotis ab antris
Implevit plangore lacus, natumque vocavit,
Jam non per ripas, jam non per curva volantem
Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos.
Eurytus Exomatas agit æquore. Neſtoris haſtæ
Immoritur primævus Helix (nec reddita caro
Nutrimenta patri) brevibus præreptus in annis.
At Latagum Zatenque Daraps; illum exigit haſta,
Hunc fugat; ingentem ſubiti cum ſanguinis undam
Vidit, & extremo lucentia pectora ferro.
Ecce autem muris reſidens Medea paternis,
Singula dum magni luſtrat certamina belli,
Atque hos ipſa procul denſa in caligine reges
Agnoſcit, quæritque alios Junone magiſtra,
Conſpicit Æſonium longe caput: ac ſimul acres
Huc oculos ſenſuſque refert animumque faventem:
Nunc quo ſe raperet, nunc quo diverſus abiret,
Ante videns; quotque unus equos, quot funderet arma,
Oranteſque viros quam denſis ſterneret haſtis.
Quaque iterum tacito ſparſit vaga lumina vultu,
Aut fratris quærens, aut pacti conjugis arma,
Sævus ibi miſeræ ſoluſque occurrit Iaſon.

Tunc his germanam aggreditur, ceu neſcia, dictis:
Quis, precor, hic, toto jamdudum fervere campo
Quem tueor, quemque ipſa vides? nam te quoque tali
Attonitam virtute reor. contra aſpera Juno
Reddit agens ſtimulis, ac diris fraudibus urget:
Ipſum, ait, Æſoniden cernis, ſoror, æquore tanto
Debita cognati repetit qui vellera Phrixi;
Nec nunc laude prior generis, nec ſanguinis uſquam.
Aſpicis, ut Minyas inter, proceresſque Cytæos
Emicet effulgens, quantiſque inſultet acervis:
Et jam vela dabit, jam litora noſtra relinquet,
Theſſaliæ felicis opes, dilectaque Phrixo
Rura petens. eat atque utinam, ſuperetque labores!
Tantum effata, magis campis intendere ſuadet,
Dum datur, ardenteſque viri percurrere pugnas.
At ſimul hanc dictis, illum Dea Marte ſecundo
Impulit, atque novas egit ſub pectora vires,
Ora ſub excelſo jamdudum vertice coni
Sæva micant, curſuſque ardeſcit: nec tibi, Perſe,
Nec tibi, virgo, jubæ lætabile ſidus Achivæ.
Acer ut autumni canis, iratoque vocati
Ab Jove fatales ad regna injuſta cometæ.
Nec ſua Crethiden latuit Dea, vimque recentem
Sentit agi membris, ac ſe ſuper agmina tollit:
Quantus ubi ipſe gelu, magnoque incanuit imbre
Caucaſus, & ſummas abiit hibernus in Arctos.
Tunc vero, ſtabulis qualis leo ſævit opimis
Luxurians, ſpargitque famem, mutatque cruores;
Sic neque parte ferox, nec cæde moratur in una
Turbidus; inque omnes pariter furit: ac modo ſævo

Enſe, modo infeſta rareſcunt cuſpide pugnæ.
Tunc & terrificis undantem crinibus Hebrum,
Et Geticum Priona ferit: caput eripit Auchi,
Brachiaque, & vaſtis volvendum mittit arenis.
At genitus Jove complerat ſua fata Colaxes;
Jamque pater mœſto contriſtat ſidera vultu,
Talibus ægra movens nequidquam pectora curis:
Hei mihi, ſi duræ natum ſubducere ſorti
Moliar, atque meis auſim confidere regnis!
Frater adhuc Amyci mœret nece: cunctaque Divûm
Turba fremunt, quorum nati cecidere cadentque.
Quin habeat ſua quemque dies: cunctiſque negabo,
Quæ mihi, ſupremos miſero ſic fatus honores
Congerit, atque animis moriturum ingentibus implet.
Ille volat campis, immenſaque funera miſcet
Per cuneos: velut hiberno proruptus ab arcu
Imber agens ſcopulos, nemorumque operumque ruinas;
Donec ab ingenti bacchatus vertice montis
Frangitur, inque novum paulatim deficit amnem.
Talis in extremo proles Jovis emicat ævo;
Et nunc magnanimos Hypetaona Geſithonmque,
Nunc Arinen Olbumque necat: jam ſaucius Apren,
Et deſertus equo Tydrum pedes excipit haſta
Phaſiaden; pecoris cuſtos de more paterni
Caucaſus ad primas genuit quem Phaſidis undas:
Hinc puero cognomen erat; famulumque ferebant
Phaſidis intonſo nequidquam crine parentes.
Jamque aliis inſtabat atrox; cum Diva ſupremas
Rumpit iniqua colus, victorque advenit Iaſon.
Excipit hunc ſæva ſic fatus voce Colaxes:

Vos Scythiæ ſaturare canes, Scythiæque volucres
Huc miſeri veniſtis? ait: ſaxumque prehenſum
Illius & dextræ geſtamen, & illius ævi,
Concuſſa molitur humo; quod regia Juno
Flexit ad ignotum caput infletumque Moneſi.
Præceps ille ruit. nato non depulit ictus
Juppiter; Æſoniæ vulnus fatale ſed haſtæ
Per clypeum, per pectus abit: lapſoque cruentus
Advolat Æſonides, mortemque cadentis acerbat.
Spargitur hinc, miſeriſque venit jam notus Alanis.
At regina virum (neque enim Deus amovet ignem)
Perſequitur luſtrans, oculiſque ardentibus hæret:
Et jam, læta minus præſentis imagine pugnæ,
Caſtigatque metus, &, quas alit inſcia, curas;
Reſpiciens, an vera ſoror: nec credere falſos
Audet atrox vultus, eademque in gaudia rurſus
Labitur, & ſævæ trahitur dulcedine flammæ.
Ac velut ante comas ac ſumma cacumina ſilvæ
Lenibus alludit flabris levis Auſter: at illum
Protinus immanem miſeræ ſenſere carinæ:
Talis ad extremos agitur Medea furores.
Interdum blandæ derepta monilia Divæ
Contrectat, miſeroque aptat flagrantia collo:
Quaque dedit teneros aurum furiale per artus,
Deficit; ac ſua virgo Deæ geſtamina reddit:
Non gemmis, non illa levi turbata metallo,
Sed facibus, ſed mole Dei; quem pectore toto
Jam tenet: extremus roſeo pudor errat in ore.
Ac prior his: Crediſne patrem promiſſa daturum;
O ſoror, Argolicus cui Dis melioribus hoſpes

Contigit? aut belli quantum jam reſtat acerbi?
Heu quibus ignota ſeſe pro gente periclis
Objicit! hæc fantem medio in ſermone reliquit
Incepti jam Juno potens, ſecuraque fraudis.
Imminet e celſis audentius improba muris
Virgo, nec ablatam ſequitur quæritve ſororem.
At quoties vis dira ducum, denſique repente
Æſoniden preſſere viri, cumque omnis in unum
Imber iit, toties ſaxis pulſatur & haſtis.
Primaque ad infeſti Lexanoris horruit arcus;
Alta ſed Æſonium ſupra caput exit arundo,
Teque, Caïce, petit. conjux miſeranda Caïco
Linquitur, & primo domus imperfecta cubili.
Regius Eoïs Myraces interpres ab oris
Venerat, ut Colchos procul atque Æetia Parthis
Fœdera donato non irrita jungeret auro.
Tum juvenem terris Parcæ tenuere Cytæis,
Ac ſubiti Mavortis amor: ſimul armiger ibat
Semivir, impubemque gerens ſterilemque juventam.
Ipſe, pharetratis reſidens ad frena tapetis,
Nunc levis infeſto procurrit in agmina curru:
Nunc fuga converſas ſpargit mentita ſagittas.
At viridem gemmis & Eoæ ſtamine ſilvæ
Subligat extrema patrium cervice tiaram,
Inſignis manicis, inſignis acinace dextro;
Improba barbaricæ procurrunt tegmina plantæ.
Nec latuere diu ſævum ſpolia illa Syenen,
Perque levem & multo maculatam murice tigrin
Concita cuſpis abit: ſubitos ex ore cruores
Saucia tigris hiat, vitamque effundit herilem.

Ipſe puer fracto pronum caput implicat arcu.
Sanguine tunc atro chlamys ignea, ſanguine vultus;
Et gravidæ maduere comæ, quas flore Sabæo
Nutrierat, liquidoque parens ſignaverat auro.
Qualem ſi quis aquis & fertilis ubere terræ
Educat, ac ventis oleam felicibus implet,
Nec labor aſſiduus, nec ſpes ſua fallit alentem;
Jamque videt primam tenero de vertice frondem:
Cum ſubito immiſſis præceps aquilonia nimbis
Venit hiems, nigraque evulſam tendit arena.
Haud ſecus ante urbem Myraces, atque ipſius ante
Virginis ora cadit: ſed non magis illa movetur
Unius ægra metu, quam te, Meleagre, furentem,
Quam Talaum videt, aut pugnas miratur Acaſti
(At ſatis hos ipſæ gentes, campique videbant)
Tempeſtate pari verſis incumbere turmis:
Ante oculos fuga fœda ducum, larguſque cadentum
It cruor, & currus dominis ingentibus orbi.
Non tulit hos Perſes gemitus: clademque ſuorum,
Tergaque verſa tuens his cœlum queſtibus implet:
Quid me jam patriis ejectum ſedibus iſtas
Ut ſtruerem pugnas, Scythiamque in bella moverem;
Vos Superi, vos augurio luſiſtis inani?
Quid fratris meritas tua, Juppiter, omina pœnas
Promiſere mihi? nobis Argoa parabas
Scilicet auxilia, & tantas conjungere vires.
Sæva quidem lucis miſeris mora: dent tamen, oro,
Unum illum mihi fata diem, quo fallat Achivos
Sic meritos; quoque hunc videam virtute ſuperbum
Æſoniden, tantos flentem ſine honore labores.

Dixerat hæc, pectuſque ſuis everberat armis,
Et galeam fletu, galeam ſingultibus implet:
Ibat & in medii præceps incendia belli;
Ni prior adverſis Pallas vidiſſet ab armis;
Et ſecum: Ruit ecce ferox in funera Perſes,
Quem genitor Colchis ſolioque reponere fratris
Jam ſtatuit. noſtra vereor ne fraude peremtum
Increpet, & culpam hanc magno terrore rependat.
Hæc dicens, atro nebulam diffundit amictu,
Stridenteſque viri circum caput amovet haſtas.
Ille ſuper ſocias clementi turbine gentes
Erigitur, paulumque levi raptatus in æthra,
Jam tandem extremas pugnæ defertur in oras:
Forte ubi ſerus Hiber Eſſedoniæque phalanges
Marte carent, ſoliſque juvant clamoribus agmen.
Nox ſimul aſtriferas profert mortalibus umbras;
Et cadit extemplo belli fragor, ægraque muris
Digreditur, longum virgo perpeſſa timorem.
Ut fera Nyctelii paulum per ſacra reſiſtunt,
Mox rapuere Deum jamjam in quodcunque paratæ
Thyades, haud alio remeat Medea tumultu,
Atque inter Grajûmque acies patriaſque phalanges
Semper inexpletis agnoſcit Iaſona curis,
Armaque, quique cava ſupereſt de caſſide vultus.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER SEPTIMUS.

Digitized by Google

LIBRI SEPTIMI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Medeam urit amor. promiſſum perfidus aurum
Rex Æeta negat: niſi ſerpens Martia juſto
Congreſſu ignotam fateatur victa quietem:
Et juga flammivomi ſubeant niſi ferrea tauri:
Terrigenæque armis cedant. mirata parentem
Phaſias ingratum Cythereo proditur æſtu;
Et juvenis miſerata necem ſublimia linquit
Mœnia: datque herbas, viroſa aconita, novercis
Cognita Theſſalicis. thalamos non ſpernit Iaſon.
Fatales panduntur agri: taurique domantur.
Vomere vertuntur glebæ: ferus emicat arvis
Miles: & effuſis fratrum cadit enſe venenis.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER VII.

Te quoque Theſſalico jam ferus ab hoſpite veſper
Dividit, & te jam tua gaudia, virgo, relinquunt:
Noxque ruit, ſoli veniens non mitis amanti.
Ergo ubi, cunctatis extremo in limine plantis,
Contigit ægra toros, & mens incenſa tenebris;
Vertere tunc varios per longa inſomnia queſtus,
Nec pereat quo ſcire malo: tandemque fateri
Auſa ſibi, paulum medio ſic fata dolore eſt:
Nunc ego quo caſu, vel quo ſic pervigil uſque
Ipſa volens errore trahor? non hæc mihi certe
Nox erat ante tuos, juvenis fortiſſime, vultus.
Quos ego cur iterum demens iterumque recordor,
Tam magno diſcreta mari? quid in hoſpite ſolo
Mens mihi? cognati potius jam vellera Phrixi
Accipiat, quæ ſola petit, quæque una laborum
Cauſa viro. nam quando domos has ille reviſet?

Aut meus Æſonias quando pater ibit ad urbes?
Felices, mediis qui ſe dare fluctibus auſi,
Nec tantas timuere vias, talemque ſecuti
Hunc qui deinde virum: ſed ſic quoque talis abito.
Tum jactata toro, nimiumque experta cubile,
Ecce videt tenui candeſcere limen Eoo:
Nec minus inſomnem lux orta refecit amantem,
Quam cum languentes levis erigit imber ariſtas,
Grataque jam feſſis deſcendunt flamina remis.
At ſua longarum Minyas jam cura viarum
Admonet, inque ipſo nequidquam tempore regem
Lætitiæ meritique petunt; quem paſſus Iaſon
Vota prius captaſque Deis accendere prædas,
Prominet, atque oculos longe tenet; aurea ſi jam
Pellis, & oblatis clareſcant atria villis.
Ille autem jamjam vultus voceſque paratas
Ante aperit; rumpitque moras, inque ipſa morantis
Proſilit ora viri, talique effunditur ira:
Orbe ſatos alio, ſua litora regnaque habentes,
Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
Quiſve mei vos tantus amor? tu prima malorum
Cauſa mihi; tu, Phrixe gener: non te æquore merſum,
Quo ſoror, ut felix nullos nunc nomine Grajos
Noſſem ego. quis regum Pelias, quis Theſſalus, aut quæ
Græcia? quodnam hominum cerno genus? aut ubi cautes
Cyaneæ? venit Scythicas en hoſpes in oras.
Quinquaginta Aſiam (pudet heu!) penetrarit Iaſon
Exſulibus? meque ante alios ſic ſpreverit una,
Una ratis, ſpolium ut vivo de rege reportet?
Ipſum efferre, meos ipſum me pandere lucos.

Imperet, & nullo dignetur vincere bello?
Cur, age, non templis ſacrata avellere dona
Omnibus, atque ipſas gremiis abducere natas,
Prædo, libet? vobiſne domos, vobiſne parentes
Eſſe putem, ratis infandis quos ſola rapinis
Sævaque paſcit hiems? & quos, credamus ut ipſis,
Rex ſuus illiſit pelago, vetuitque reverti?
Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro?
Ante meus cæſa deſcendet Caucaſus umbra,
Ac prior Hæmonias repetet ſuper æquora prædas.
Haud ego cum vittis ſtatui feralibus Hellen.
Si tamen his aliter perſtas non cedere terris,
Teque pudor caſſi reditus movet, ac latet una
Neſcio quid plus puppe viris; haud ipſe morabor
Quæ petitis: modo noſtra prior tu perfice juſſa.
Martius ante urbem longis jacet horridus annis
Campus, & ardentes, ac me quoque vomere preſſo,
Me quoque cunctantes interdum agnoſcere tauri.
His magis atque magis rabiem nunc noſtra ſenectus
Luxuriemque dedit; ſolitoque ſuperbior ignis
Ore fremit. ſuccede meæ, fortiſſime, laudi;
Et noſtros recole, hoſpes, agros. nec ſemina deerunt,
Quæ prius ipſe dabam, & meſſes, quas ſolus obibam.
Conſiliis nox una ſatis. tecumque retracta,
Cumque tuis hæc juſſa Deis: ac, ſi quid in iſto eſt
Robore, prædicti venies in rura laboris.
Ipſe incertus adhuc, tenebris te protinus illis
Involvi flammiſque velim: durare parumper
An magis, everſo jacias dum ſemina campo,
Ac tibi Cadmei dum ſeminis exeat hydri

Miles, & armata floreſcant pube novales.
Filia prima trucis vocem mirata tyranni
Hæſit, & ad juvenem pallentia rettulit ora,
Contremuitque metu, ne neſcius audeat hoſpes;
Seque miſer ne poſſe putet. perſtrinxerat horror
Ipſum etiam, & mœſta ſtabat defixus in ira.
Non ita Tyrrhenus ſtupet Ioniuſque magiſter,
Qui portus, Tyberine, tuos, claramque ſerena
Arce Pharon præceps ſubiit: nuſquam oſtia, nuſquam
Auſoniam videt, & ſævas accedere Syrtes.
Tum tamen, infando quæ det reſponſa tyranno,
Colligit, & tandem obtutu conſurgit ab alto:
Non, ait, hos reditus, non hanc, Æeta, dediſti
Spem Minyis: cum prima tuis pro mœnibus arma
Induimus. quo verſa fides? quos veſtra volutant
Juſſa dolos? alium hic Pelian, alia æquora cerno.
Quin agite, hoc omnes odiiſque urgete tyranni
Imperiiſque caput; quanquam mihi dextera, nec ſpes
Defuerit mox juſſa pati, nec cedere duris.
Unum oro, ſeu me illa ſuis ſeges obruet haſtis,
Hauriet adverſo ſeu craſtinus ignis hiatu;
Nuntius hinc ſævas Peliæ mittatur ad aures,
Hic periiſſe viros; & me, ſi veſtra fuiſſet
Ulla fides, reducem patriæ potuiſſe referri.
Talibus attonitos dictis natamque patremque
Linquit, & infida præceps prorumpit ab aula.
At trepida & medios inter deſerta parentes
Virgo ſilet: nec fixa ſolo ſervare parumper
Lumina, nec potuit mœſtos non flectere vultus:
Reſpexitque fores, & adhuc invenit euntem:

Viſus & heu miſeræ tunc pulchrior hoſpes amanti
Diſcedens: tales humeros, ea terga relinquit.
Illa domum atque ipſos paulum procedere poſtes
Optat, & ardentes tenet intra limina greſſus.
Qualis, ubi extremas Io vaga ſentit arenas,
Fertque refertque pedem; tumido quam cogit Erinnys
Ire mari, Phariæque vocant trans æquora matres.
Circuit haud aliter, foribuſque impendet apertis,
An melior Minyas revocet pater: oraque quærens
Hoſpitis, aut ſolo mœret defecta cubili,
Aut venit in caræ gremium refugitque ſororis,
Atque loqui conata ſilet; rurſuſque recedens
Quærit, ut Ææis hoſpes conſederit oris
Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones.
Tum comitum viſu fruitur miſeranda ſuarum,
Implerique nequit; ſubitoque parentibus hæret
Blandior, & patriæ circumfert oſcula dextræ.
Sic aſſueta toris & menſæ dulcis herili,
Ægra nova jam peſte canis rabieque futura,
Ante fugam totos luſtrat queribunda penates.
Tandem etiam molli ſeſe ſemel increpat ira:
Pergis, ait, demens; teque illius angit imago
Curaque, qui profuga forſan tenet alta carina?
Quique meum patrias referet nec nomen ad urbes?
Quid me autem ſic ille movet, ſuperetne labores,
An cadat, & tanto turbetur Græcia luctu?
Saltem, fata virum ſi jam ſuprema ferebant,
Juſſus ad ignotos potius foret ire tyrannos!
O utinam, & tandem non hac moreretur in urbe!
Namque & ſidereo noſtri de ſanguine Phrixi

Dicitur; & caram vidi indoluiſſe ſororem :
Seque ait has juſſis actum miſer ire per undas.
Aut redeat quocunque modo, meque iſta precari
Neſciat, atque meum non oderit ille parentem.
Dixerat hæc, ſtratoque graves projecerat artus,
Si veniat miſerata quies; cum ſævior ipſe
Turbat agitque ſopor: ſupplex hinc ſternitur hoſpes;
Hinc pater: illa nova rumpit formidine ſomnos,
Erigiturque toro; famulas caroſque penates
Agnoſcit, modo Theſſalicas raptata per urbes.
Turbidus ut pœnis cæciſque pavoribus enſem
Corripit, & ſævæ ferit agmina matris Oreſtes;
Ipſum angues, ipſum horriſoni quatit ira flagelli;
Atque iterum infeſtæ ſe fervere cæde Lacænæ
Credit agens, falſaque redit de ſtrage Dearum
Feſſus, & in miſeræ collabitur ora ſororis.
His ubi nequidquam nutantem Colchida curis
Juno videt necdum extremo parere furori;
Non jam meutitæ vultum vocemque reſumit
Chalciopes; quando arbor hebet, leviorque pudori
Menſque obnixa malo; tenues ſublimis in auras
Tollitur, & fulvo Venerem veſtigat Olympo:
Sum memor, ut tantum mecum partita laborem;
Illa nimis ſed dura manet, converſaque in iram
Et Furias dolet, ac me nunc decepta reliquit.
I, precor, atque iſtum, quo me fruſtratur, amorem
Vince, ptecor; patriis ut tandem evadere tectis
Audeat, atque meum caſu defendere ab omni
Æſoniden. quin illa ſacro, quo freta, veneno
Illum etiam totis adſtantem noctibus anguem,

Qui nemus omne ſuum, quique aurea (reſpice porro)
Vellera tot ſpiris circum, tot ductibus implet,
Solvat, & in ſomnos ingenti ſolvat ab orno.
Hæc tibi nunc: Furiis, atque ipſi cetera mando.
Tum Venus aligerûm mater ſic fatur Amorum:
Nec tibi, cum primos aggreſſa es flectere ſenſus
Virginis, ignotaque animum contingere cura,
Defuimus: data continuo ſed cingula ſoli
Noſtra tibi, quis mota loco labefactaque ceſſit.
Haud ſatis eſt; ſed me ipſa opus: & cunctantia poſcunt
Pectora me, dubiuſque pudor: jam fœdera ſaxo
Æſonii petat ipſa viri, metuatque morari.
Tu face luciferæ citus ad delubra Dianæ
Deveniat, ſacras ſolita eſt ubi fundere tædas
Colchis, & æquali dominam luſtrare caterva.
Nec te nunc Hecates ſubeat metus, aut mea ſorte
Impediat ne cœpta time. quin audeat opto:
Continuo tranſibit amor; cantuque trilingui
Ipſam flammiferos cogam compeſcere tauros,
Amplexumque pati. volucrem tunc aſpicit Irin,
Feſtinamque jubet monitis parere Diones;
Et juvenem Æſonium prædicto ſiſtere luco.
Protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petivit
Colchida: Caucaſiis ſpeculatrix Juno reſedit
Rupibus, attonitos Ææa in mœnia vultus
Speque metuque tenens, & adhuc ignara futuri.
Vix primas occulta Venus proſpexerat arces;
Virginis ecce novus mentem perſtringere languor
Incipit: ingeminant commotis queſtibus æſtus.
Ergo iterum ſenſus varios ſuper hoſpite volvens

Mœret, & abſenti nequidquam talia fatur.
Si tibi Theſſalicis, nunc ſi tua forte venenis
Mater, & heu, ſi qua eſt, poſſet ſuccurrere conjux!
Quidve tuos virgo poſſim niſi flere labores?
Hoc ſatis; ipſa etiam caſus ſpectare ſupremos,
Atque iterum duræ cogar comes eſſe ſorori.
Et nunc ille ſua non quemquam forte moveri,
Non ullum meminiſſe putat: cumque omnibus odit
Me quoque. ſi quando fuerit tamen ulla poteſtas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus hæſerit arvis,
Oſſaque, quîs tauri ſævuſque pepercerit ignis,
Componam, ſedemque dabo. fas tunc mihi manes
Dilexiſſe viri, tumuloque has reddere curas.
Dixerat. ecce toro Venus improviſa reſedit,
Sicut erat mutata Deam, mentitaque pictis
Veſtibus & magica Circen Titanida virga.
Ipſa, velut lenti fallatur imagine ſomni,
Hic oculos incerta tenet, magnique ſororem
Paulatim putat eſſe patris: tum flebile gaudens
Proſiluit, ſævæque ultro tulit oſcula Divæ.
Ac prior: O tandem, vix tandem reddita, Circe,
Dura tuis; quæ te bijugis ſerpentibus egit
Hinc fuga? quæve fuit patriis mora gratior oris?
Ante & Theſſalicæ Phaſin petiere carinæ,
Perque tot infelix fruſtra vada venit Iaſon,
Quam patriæ te movit amor. tum cetera rumpit,
Occurritque Venus: Tu nunc mihi cauſa viarum
Sola: tuæ venio (jampridem gnara) juventæ:
Cetera parce queri; neu me meliora ſecutam
Argue: quippe ut jam reputentur munera Divûm.

Omnibus hunc potius communem animantibus orbem,
Communes & crede Deos. patriam inde vocato,
Qua redit itque dies. nec nos, o nata, malignus
Cluſerit hoc uno ſemper ſub frigore Phaſis.
Fas mihi non habiles, fas & tibi linquere Colchos.
Et nunc Auſonii conjux ego regia Pici:
Nec mihi flammiferis horrent ibi paſcua tauris;
Meque vides Tuſci dominam maris. at tibi quinam
Sauromatæ, miſeranda, proci? cui vadis Hibero,
(Hei mihi!) vel ſævo conjux non una Gelono?
Illa Deæ contra jamdudum ſpernere voces:
Non ita me immemorem magnæ Perſeïdos, inquit,
Cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
I, precor, atque unum pro me dimitte timorem.
Sed magis his miſeram, quando potes, eripe curis,
Unde metus æſtuſque mihi, quæque aſpera, mater,
Perpetior duræ jamdudum incendia mentis.
Nulla quies animo, nullus ſopor: ardua amanti.
Quære malis noſtris requiem, mentemque repone:
Redde diem noctemque mihi; da prendere veſtes
Somniferas, ipſaque oculos componere virga.
Tu quoque nil, mater, prodes mihi: fortior ante
Sola fui. triſtes thalamos, infeſtaque cerno
Omnia, vipereos ipſi tibi ſurgere crines.
Talia verba dabat, collapſaque flebat iniquæ
In Veneris Medea ſinus, peſtemque latentem
Oſſibus, atque imi monſtrabat pectoris ignem.
Occupat amplexu Venus, & furialia figit
Oſcula, permixtumque odiis inſpirat amorem.
Dumque illam variis mœrentem vocibus ambit,

Inque alio ſermone tenet; Quin hoc, ait, audi,
Atque attolle genas. lacrimiſque hæc inſit obortis:
Cum levis a ſuperis ad te modo laberer auris;
Forte ratem primo fugientem litore cerno,
Qualem noſtra ſuo nunquam dimittere portu
Vellet, adhuc omnes quæ detinet inſula nautas.
Unus ibi ante alios, qui tum mihi pulchrior omnes
Viſus erat (longeque ducem mirabar & ipſa)
Advolat, atque unam comitum ratus eſſe tuarum:
Per, tibi ſi quis, ait, morituri protinus horror,
Et quem non meritis videas occurrere monſtris,
Hæc præcor: hæc dominæ referas ad virginis aurem:
Tu fletus oſtende meos: illi has ego voces,
Qua datur, haſque manus, ut poſſum, a litore tendo.
Ipſæ, ego quas mecum per mille pericula traxi,
Defecere Deæ. ſpes & via ſola ſalutis,
Quam dederit, ſi forte dabit. ne vota repellat,
Ne mea: totque animas, quales nec viderit ultra;
Dic precor, auxilio juvet, atque hæc nomina ſervet.
Si Pelopis duros prior Hippodamia labores
Expediit, totque ora ſimul jugulata procorum
Reſpiciens, tandem patrios exhorruit axes:
Si dedit ipſa neci fratrem Minoïa virgo:
Cur non hoſpitibus fas ſit ſuccurrere dignis
Te quoque, & Ææos jubeas miteſcere campos?
Occidat æterna tandem Cadmeïa morte
Jam ſeges, & viſo fumantes hoſpite tauri.
Hei mihi, quod nullas hic poſſum exſolvere grates!
Ut tamen hoc ſæva corpus de morte receptum,
Hanc animam ſciat eſſe ſuam. miſerebitur ergo?

Dic, ait, an potius? ſtrictumque ruebat in enſem.
Promiſi: ne falle, precor. cumque ipſa moverer
Alloquio caſuque viri, te paſſa rogari
Sum potius: tu laude nova, te ſupplice digno
Dignior es: ſat fama meis jam parta venenis.
Torſerat illa gravi jamdudum lumina vultu
Vix animos dextramque tenens, quin ipſa loquentis
Iret in ora Deæ; tanta pudor æſtuat ira
Verba cavens: horror molles invaſerat annos.
Jamque toro trepidas infelix obſtruit aures;
Nec quo ferre fugam, nec quo ſe vertere poſſet
Prenſa videt: rupta condi tellure premique
Jamdudum cupit, ac diras evadere voces.
Illa ſequi jubet, & portis exſpectat in ipſis.
Sævus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
Deſerit, injectis per roſcida cornua vinclis;
Cum tenet ille Deum, pudibundaque tegmina matris,
Tympanaque, & mollem ſubito miſer accipit haſtam.
Haud aliter deſerta pavet, perque omnia circum
Fert oculos, tectiſque negat procedere virgo.
Contra ſævus amor, contra periturus Iaſon
Urget, & auditæ creſcunt in pectore voces.
Heu quid agat? videt externo ſe prodere patrem.
Dura viro: famam ſcelerum jamque ipſa ſuorum
Proſpicit, & queſtu ſuperos, queſtuque fatigat
Tartara: pulſat humum, manibuſque immurmurat uncis,
Noctis heram Ditemque ciens, ſuccurrere tandem
Morte velint, ipſumque ſimul dimittere leto,
Quem propter furit: abſentem ſæviſſima poſcit
Nunc Pelian, tanta juvenem qui perderet ira:

Sæpe ſuas miſero promittere deſtinat artes,
Denegat, atque una potius decernit in ira;
Ac neque tam turpi ceſſuram ſemper amori
Proclamat, neque opem ignoto vireſque daturam:
Atque toro projecta manet: cum viſa vocari
Rurſus, & impulſo ſonuerunt cardine poſtes.
Ergo ubi neſcio quo penitus ſe numine vinci
Sentit, & abſciſum quidquid pudor ante monebat;
Tum thalami penetrale petit, quæ maxima norat
Auxilia Hæmoniæ quærens pro rege carinæ.
Utque procul magicis ſpirantia tecta venenis,
Et ſævæ patuere fores, oblataque contra
Omnia, quæ Ponto, quæ Manibus eruit imis,
Et quæ ſanguinea Lunæ deſtrinxit ab ira:
Tune ſequeris, ait, quidquam, aut patiere pudendum,
Cum tibi tot mortes, ſceleriſque breviſſima tanti
Effugia? hæc dicens, qua non velocius ulla,
Peſtiferam toto nequidquam lumine luſtrat.
Cunctaturque ſuper, morituraque colligit iras.
O nimium jucunda dies, quam cara ſub ipſa
Morte magis! ſtetit, & ſeſe mirata furentem eſt.
Occidis, heu! primo potes hoc durare ſub ævo?
Nec tu lucis, ait, nec videris ulla juventæ
Gaudia? nec dulces fratris pubeſcere malas?
Hunc quoque, qui nunc eſt primævus, Iaſona neſcis
Morte perire tua, qui te nunc invocat unam,
Qui rogat, & noſtro quem primum in litore vidi?
Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras?
Tun' poteras iſtis juvenem non perdere monſtris
Protinus? ipſa etiam, fateor, tunc ipſa volebam.

Teſtor cara tuas, Circe Titania, voces:
Te ducente ſequor: tua me grandæva fatigant
Conſilia, & monitis cedo minor. hæc ubi fata;
Rurſus ad Hæmonii juvenis curamque metumque
Vertitur: hunc ſolum propter ſeu vivere gaudens,
Sive mori, quodcunque velit. majora precatur
Carmina, majores Hecaten immittere vires
Nunc ſibi; nec notis ſtabat contenta venenis.
Cingitur inde ſinus, & qua ſibi fida magis vis
Nulla, Prometheæ florem de ſanguine fibræ
Caucaſium, tonitru nutritaque gramina, promit,
Quæ ſacer ille nives inter triſteſque pruinas
Durat editque cruor; cum viſcere vultur adeſo
Tollitur e ſcopulis, & roſtro irrorat aperto.
Idem nec longi langueſcit finibus ævi
Immortale virens: idem ſtat fulmina contra
Sanguis, & in mediis floreſcunt ignibus herbæ.
Prima Hecate Stygiis duratam fontibus harpen
Intulit, & validas ſcopulis effodit ariſtas:
Mox famulæ monſtrata ſeges, quæ lampade Phœbes
Sub decima juga fœta metit, ſævitque per omnes
Relliquias ſaniemque Dei; gemit irritus ille
Colchidos ora tuens: totos tunc contrahit artus
Monte dolor, cunctæque tremunt ſub falce catenæ.
Talibus infelix contra ſua regna venenis
Induitur, noctique tremens infertur opacæ.
Dat dextram vocemque Venus, blandiſque paventem
Alloquiis, junctoque trahit per mœnia paſſu.
Qualis adhuc teneros ſupremum pallida fœtus
Mater ab excelſo produxit in aera nido,

Hortaturque ſequi, brevibuſque inſurgere pennis;
Illos cærulei primus ferit horror Olympi;
Jamque redire rogant, aſſuetaque quæritur arbor.
Haud aliter cæcæ per mœnia deficit urbis
Incedens, horretque domos Medea ſilentes.
Hic iterum extremæ nequidquam in limine portæ
Subſtitit, atque iterum fletus animique ſoluti:
Reſpexitque Deam, paulumque his vocibus hæſit:
Ipſe rogat certe, meque ipſe implorat Iaſon.
Nullane culpa ſubeſt? labes non ulla pudoris,
Nullus amor: nec turpe viro ſervire precanti?
Illa nihil contra, voceſque abrumpit inanes.
Et jam jam magico per opaca ſilentia Colchis
Cœperat ire ſono, monſtrataque condere vultus
Numina, cumque ſuis averti collibus amnes:
Jam ſtabulis gregibuſque pavor, ſtrepituſque ſepulcris
Inciderat: ſtupet ipſa gravi nox tardior umbra.
Jamque tremens longe ſequitur Venus. utque ſub altas
Pervenere trabes, Divæque triformis in umbram;
Hic ſubito ante oculos nondum ſperatus Iaſon
Emicuit: viditque prior conterrita virgo.
Atque hic ſe profugam volucri Thaumantias ala
Suſtulit: inde Venus dextræ dilapſa tenenti.
Obvius ut ſera cum ſe ſub nocte magiſtris
Impingit pecorique pavor; qualeſve profundum
Per chaos occurrunt cæcæ ſine vocibus umbræ:
Haud ſecus in mediis noctis nemoriſque tenebris
Inciderant ambo attoniti, juxtaque ſubibant,
Abietibus tacitis aut immotis cypariſſis
Aſſimiles, rapidus nondum quas miſcuit auſter.

Ergo ut erat vultu defixus uterque ſilenti,
Noxque ſuum peragebat iter; jam jam ora levare
Æſoniden, farique cupit Medea priorem.
Quam ſimul effuſis pavitantem fletibus heros,
Flagranteſque genas vidit, miſerumque pudorem:
Has tandem voces dedit, & ſolatus amantem eſt:
Ferſne aliquam ſpem lucis? ait. miſerata laborem
Nempe venis? an & ipſa mea lætabere morte?
Ne, precor, infando ſimilem te, virgo, parenti
Geſſeris: haud tales decet inclementia vultus.
Haſcine nunc grates, hæc exſpectata laborum
Dona dari decuit? ſic te ſub teſte remitti
Fas me, virgo, tuum? juſtas da vocibus aures.
Nec pater ille tuus tantis me opponere monſtris,
(Quid meritum?) aut tales voluit me pendere pœnas.
An jacet externa quod nunc mihi cuſpide Canthus?
Quodque meus veſtris cecidit pro mœnibus Iphis?
Aut Scythiæ tanta inde manus? juſſiſſet abire
Perfidus, atque ſuis extemplo cedere regnis.
Spem mihi promiſſam per quæ diſcrimina rurſus;
Et reddat qua lege, vides. occumbere tandem
Poſſumus: idque ſedet, quam non quæcunque ſubire
Patris juſſa tui: nunquam ſine vellere abibo
Hinc ego: degenerem nec me tu prima videbis.
Hæc ait. illa tremens, ut ſupplicis aſpicit ora
Conticuiſſe viri, jamque & ſua verba repoſci;
Nec quibus incipiat demens videt, ordine nec quo;
Quove tenus, prima cupiens effundere voce
Omnia, ſed nec prima pudor dat verba timenti.
Hæret, & attollens vix tandem lumina fatur:

Quid, precor, in noſtras veniſti, Theſſale, terras?
Unde mei ſpes ulla tibi? tantoſque petiſti
Cur non ipſe tua fretus virtute labores?
Nempe, ego ſi patriis timuiſſem excedere tectis;
Occideras: nempe hanc animam ſors ſæva manebat
Funeris. en ubi Juno, ubi nunc Tritonia virgo;
Sola tibi quoniam tantis in caſibus adſum
Externæ regina domus: miraris & ipſe,
Credo: nec agnoſcunt hæ nunc Æetida ſilvæ.
Sed fatis ſum victa tuis. cape munera ſupplex
Non mea; teque iterum Pelias ſi perdere quæret;
Inque alios caſus, aliaſque immittet ad urbes;
Heu formæ ne crede tuæ. Titania jamque
Gramina, Perſæaſque ſinu depromere vires
Cœperat; his iterum compellat Iaſona dictis:
Si tamen aut ſuperis aliquam ſpem ponis in ipſis;
Aut tua præſenti virtus educere leto
Si te forte poteſt; & jam nunc deprecor, hoſpes;
Me ſine, & inſontem miſero dimitte parenti.
Dixerat. extemplo (neque enim matura ruebant
* Sidera, & extremum ſuffixerat axe Booten)
Cum gemitu & multo juveni medicamina fletu
Non ſecus ac patriam, pariter famamque decuſque;
Objicit. ille manu ſubit, & vim corripit omnem.
Inde ubi facta nocens, & non revocabilis unquam
Ceſſit ab ore pudor, propiorque implevit Erinnys;
Carmina nunc totos volvit figitque per artus
Æſonidæ, & totum ſepteno murmure fertur
Per clypeum, atque viro graviorem reddidit haſtam:
Jamque ſui tauris languent abſentibus ignes.

Nunc age, & has, inquit, criſtas galeamque reſume;
Quam modo funerea tenuit Diſcordia dextra.
Hanc jace per medias, cum verteris æquora, meſſes.
Protinus in ſeſe converſa furoribus ibit
Cuncta phalanx: atque ipſe fremens mirabitur, & me
Reſpiciet fortaſſe pater. ſic deinde locuta
Jam magis atque magis mentem ſuper alta ferebat
Æquora: pandentes Mynias jam vela videbat
Se ſine: tum vero extremo percuſſa dolore
Arripit Æſoniden dextra, ac ſubmiſſa profatur:
Sis memor, oro, mei, contra memor ipſa manebo;
Crede, tui. quando hinc aberis, dic quæſo, profundi
Quod cœli ſpectabo latus? ſed te quoque tangat
Cura mei quocunque loco, quoſcunque per annos:
Atque hunc te meminiſſe velis, & noſtra fateri
Munera; ſervatum pudeat nec virginis arte.
Hei mihi, cur nullos ſtringunt tua lumina fletus?
An me mox merita morituram patris ab ira
Diſſimulas? te regna tuæ felicia gentis,
Te conjux natæque manent: ego prodita obibo.
Nec queror, & pro te lucem quoque læta relinquam.
Protinus hoſpes ad hæc, (tacitis nam cantibus illum
Flexerat, & ſimili jamdudum afflarat amore)
Tune, ait, Æſoniden quidquam te velle relicta
Credis; & ulla pati ſine te loca? redde tyranno
Me potius: recipe ingratos atque exue cantus.
Quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem;
Si non & genitor te primam amplectitur Æſon,
Teque tuo longe fulgentem vellere gaudens
Spectat, & ad primos procumbit Græcia fluctus?

Reſpice ad has voces, & jam precor annue, conjux:
Per te, quæ ſuperis Diviſque potentior imis,
Perque hæc ergo tuo redeuntia ſidera nutu,
Atque per has noſtri juro diſcriminis horas;
Unquam ego ſi meriti, ſim noctis & immemor hujus,
Si te, ſceptra, domum, ſi te liquiſſe parentes
Senſeris, & mea tum non hæc promiſſa videntem;
Tum me non tauros juvet evaſiſſe, feroſque
Terrigenas: tum me tectis tua turbet in ipſis
Flamma, tuæque artes; nullus ſuccurrere contra
Ingrato queat, & ſi quid tu ſævius, ipſis
Adjicias, meque in medio terrore relinquas.
Audiit, atque ſimul meritis perjuria pœnis
Deſpondet, queſtus ſemper Furor ultus amantis.
Hæc ubi dicta, tamen perſtant defixus uterque,
Et nunc ora levant audaci læta juventa,
Ora ſimul toties dulces rapientia viſus,
Dejicit hinc vultus æger pudor, & mora dictis
Redditur, ac rurſus conterret Iaſona virgo:
Accipe, perdomitis quæ deinde pericula tauris;
Et quis in Æolio maneat te vellere cuſtos;
Nondum cuncta tibi, fateor, promiſſa peregi.
Sævior ingenti Mavortis in arbore reſtat,
Crede, labor; quem! tanta utinam fiducia noſtri
Sit mihi, nocturnæque Hecates, veſtrique vigoris.
Dixerat: utque virum doceat, quæ monſtra ſuperſint,
Protinus immenſis recubantem anfractibus anguem
Turbat, & Hæmonii ſubito ducis objicit umbram.
Ille, quod haud alias, ſtetit, & trepidantia torſit
Sibila, ſeque metu poſtquam ſua vellera circum

Suſtulit; atque omnis ſpiris exhorruit arbor;
Incipit inde ſequi, & vacuo furit ore per auras.
Quis fragor hic? quænam tantæ, dic virgo, ruinæ?
Exclamat ſtricto Æſonides ſtans frigidus enſe.
Illa trahit ridens, tandemque ait angue repreſſo:
Hunc tibi poſtremum noſtri parat ira parentis,
Heu miſer, heu tantis iterum carpende periclis.
O utinam, ut nullo te ſim viſura labore
Ipſam cæruleis ſqualentem nexibus ornum,
Ipſaque pervigilis calcantem lumina monſtri;
Contingat vix deinde mori! ſic fata, profugit;
Seque ſub extremis in mœnia rettulit umbris.
Et jam puniceo regem ſpes vana ſub ortu
Extulerat, quantis nox una diremerit undis
Æſoniden: liberne freto jam vultus aperto;
Utque prius totum ſileat mare: dumque ea longe
Explorare queat; contra venit Arcas Echion
Dicta ferens: jam Circæis Mavortis in agris
Stare virum, daret æripedes in prœlia tauros.
En vocor, en ultro, dixit, ſpeſque addidit auſa:
Vos mihi nunc primum in glebas invertite tauri
Æquora, nunc totas aperite & volvite flammas:
Exeat Hæmonio meſſis memoranda colono,
Tuque tuum parti Grajûm da, nata, draconem.
* Ipſius aſpectu pereant: quin vellera, & ipſa
Terga mihi diros ſervent infecta cruores.
Fatur, & effuſis pandi jubet æquora tauris.
Pars & Echionii ſubeunt immania dentis
Semina: pars diri portant grave robur aratri.
At ſua magnanimum contra Pagaſea juventus

Proſequitur ſtipatque ducem: tum maxima quiſque
Dicta dedit, ſæviſque procul diſceſſit ab agris.
Fixerat ille gradus, totoque ex agmine ſolus
Stabat, ut extremis deſertus ab orbibus axis,
Quem jam laſſa dies, auſtrique ardentis arenæ;
Aut quem Rhipæas exſtantem rurſus ad arces
Nix & cærulei Boreæ ferus abſtulit horror:
Cum ſubito attoniti longiſſima Phaſidis unda,
Caucaſiæque trabes, omniſque Æetia tellus
Fulſit, & ardentes ſtabula effudere tenebras.
Ac velut ex una ſi quando nube coruſci
Ira Jovis torſit geminos mortalibus ignes;
Aut duo cum pariter ruperunt vincula venti,
Dantque fugam: ſic tunc clauſtris evaſit uterque
Taurus, & immani proflavit turbine flammas
Arduus, atque atro volvens incendia fluctu.
Horruit Argoæ legio ratis: horruit audax,
Qui modo virgineis ſervari cantibus Idas
Flebat, & invito proſpexit Colchida vultu.
Non tulit ipſe moras, ſeſeque immiſit Iaſon;
Diverſos poſtquam ire videt: galeamque minantem
Quaſſat, & errantem dextra ciet obvius ignem.
Ut tandem ſtetit, & torvo ſe lumine flexit,
Qui prior adverſi reſpexit Iaſonis arma,
Cunctatus paulum ſubito furit. æquora non ſic
In ſcopulos irata ruunt, eademque recedunt
Fracta retro. bis fulmineis ſe flatibus infert,
Obnubitque virum; ſed non incendia Colchis
Adſpirare ſinit: clypeoque illiditur ignis
Frigidus, & viſo palleſcit flamma veneno.

Incitat Æſonides dextram, inque ardentia mittit
Cornua, dein totis propendens viribus hæret.
Ille virum atque ipſam tunc te, Medea, recuſans,
Concutit, & tota nitentem cornibus ira
Portat iners: tandem gravius mugire reſidens,
Incipit, & feſſo victus deſcendere cornu.
Reſpicit hinc ſocios, immania vincula poſcens;
Æſonides, jamque ora premit, trahiturque trahitque,
Obnixuſque genu ſuperat, cogitque trementes
Sub juga ahena toros. alium dehinc turbida Colchis
Exarmat, lentumque offert timideque minantem:
Jamque propinquanti noctem implicat: ille fatiſcens
In caput, inque humeros ipſa vi molis & iræ
Proruit: invadit, totuſque incumbit Iaſon
Deſuper, atque ſuis defixum flatibus urget.
Utque dedit vinclis, validoque obſtrinxit aratro,
Suſcitat ipſe genu, ſævaque agit inſuper haſta.
Non aliter medio quam ſi telluris hiatu
Terga recentis equi, primumque invaſit habenis
Murmur, & in ſumma Lapithes apparuit oſſa.
Ille velut campos Libyes, ac pinguia Nili
Fertilis arva ſecet; plena ſic ſemina dextra
Spargere gaudet agris, oneratque novalia bello.
Martius hic primum ter vomere fuſus ab ipſo
Clangor, & ex omni ſonuerunt cornua ſulco:
Bellatrix tunc gleba quati, pariterque creari
Armarique phalanx, totiſque inſurgere campis:
Ceſſit, & ad ſocios paulum ſe rettulit heros
Opperiens, ubi prima ſibi daret agmina tellus
Adverſo. ut ſummis jam rura recedere criſtis

Vidit, & infeſta vibrantes caſſide terras;
Advolat, atque imo tellus qua proxima collo;
Necdum humeri videre diem, prior enſe ſequaci
Æquat humo truncos; rutilum thoraca ſequenti,
Aut primas a matre manus; premit obvius ante.
Nec magis aut illis, aut illis millibus ultra
Sufficit; ad diræ quam cum Tirynthius hydræ
Agmina Palladios defeſſus reſpicit ignes.
Ergo iterum ad ſocias convertere Colchidos artes;
Et galeæ nexus ac vincula diſſipat imæ:
Cunctaturque tamen, totique occurrere bello
Ipſe cupit; ſpes nulla datur: ſic undique denſant
Terrigenæ jam ſigna duces; clamorque, tubæque.
Jamque omnes odere virum: jamque omnia contra
Tela volant: tum vero amens diſcrimine tanto,
Quam modo Tartareo galeam Medea veneno
Infectam dederat, uſuſque armarat in illos,
In medios torſit: converſæ protinus haſtæ.
Qualis ubi attonitos mœſtæ Phrygas annua Matris
Ira, vel exſectos lacerat Bellona comatos:
Haud ſecus accenſas ſubito Medea cohortes
Implicat, & miſeros agit in ſua prœlia fratres.
Omnis ibi Æſoniden ſterni putat: omnibus ira
Talis erat: ſtupet Æetes, ultroque furentes
Ipſe viros revocare cupit: ſed cuncta jacebant
Agmina; nec quiſquam primus ruit, aut ſuper ullus
Linquitur: atque hauſit ſubito ſua funera tellus.
Protinus in fluvium fumantibus evolat armis
Æſonides. qualis Getico de pulvere Mavors
Intrat equis, uritque gravem ſudoribus Hebrum;

Aut niger ex antris rutilique a fulminis æſtu
Cum furit, & Siculo reſpirat in æquore Cyclops.
Redditus hic tandem, ſocioſque amplexus ovantes,
Haud jam mendacem promiſſa repoſcere regem
Dignatur: nec, ſi ipſe ſibi terga ingerat ultro
Qui pepigit, velit in pacem dextramque reverti
Amplius: ambo truces, ambo abſceſſere minantes.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER OCTAVUS.

Digitized by Google

LIBRI OCTAVI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

EXCEDENS Medea gravi mæſtiſſima planctu
Opprimitur. Grajo tandem jungenda marito
Effert virgineis medicamina ſæva caniſtris.
Serpens obruitur ſomno. fulvo exuit ornum
Æſonides auro. cedentes excipit Argo.
Frater in arma ruit. ripæ pater advolat. auras
Queſtubus ipſa parens pulſat. volat aurea claſſis
Cyaneos linquens ſcopulos. connubia læti
Hæmonidæ celebrant: quæ Colchica navis in enſes
Vertit. carceribus revocat Saturnia ventos.
Mergitur Albanus. monitis ingratus Iaſon
Flectitur. hoc ſentit virgo: magnumque minatur.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER VIII.

At trepidam in thalamis, & jam ſua facta paventem
Colchida circa omnes pariter furiæque minæque
Patris habent: nec cærulei timor æquoris ultra,
Nec miſeræ terra ulla procul. quaſcunque per undas
Ferre fugam, quamcunque cupit jam ſcandere puppim.
Ultima virgineis tunc flens dedit oſcula vittis;
Quoſque fugit, complexa toros, crinemque genaſque
Ante per antiqui carpſit veſtigia ſomni:
Atque hæc impreſſo gemuit miſeranda cubili:
O mihi ſi profugæ genitor nunc ille ſupremos
Amplexus, Æeta, dares, fletuſque videres
Ecce meos! ne crede, pater; non carior ille eſt,
Quem ſequimur: tumidis utinam ſimul obruar undis!
Tu, precor, hæc longa placidus mox ſceptra ſenecta
Tuta geras, meliorque tibi ſit cetera proles.
Dixit, & Hæmonio nunquam ſpernenda marito

Condita letiferis prodit medicamina ciſtis;
Virgineoſque ſinus, ipſumque monile venenis
Implicat, ac ſævum ſuper omnibus addidit enſem.
Inde, velut torto Furiarum erecta flagello,
Proſilit. attonito qualis pede proſilit Ino
In freta, nec parvi meminit conterrita nati,
Quem tenet: extremum conjux ferit irritus Iſthmon.
Jam prior in lucos curis urgentibus heros
Venerat, & nemoris ſacra ſe nocte tegebat;
Tum quoque ſiderea clarus procul ora juventa.
Qualis adhuc ſparſis comitum per luſtra catervis
Latmius æſtiva reſidet venator in umbra,
Dignus amore Deæ: velatis cornibus & jam
Luna venit. roſeo talis per nubila ductor
Implet honore nemus, talemque exſpectat amantem.
Ecce autem pavidæ virgo de more columbæ,
Quæ ſuper ingenti circumdata præpetis umbra
In quemcunque tremens hominem cadit: haud ſecus illa
Icta timore gravi mediam ſe immiſit: at ille
Excepit, blandoque prior ſic ore locutus:
O decus in noſtros magnum ventura penates,
Solaque tantarum virgo haud indigna viarum
Cauſa reperta mihi, jam nunc non ulla requiro
Vellera: teque meæ ſatis eſt vexiſſe carinæ.
Verum age, & hoc etiam, quando potes, adjice tantis
Muneribus meritiſque tuis: namque aurea juſſi
Terga referre ſumus: ſocios ea gloria tangit.
Sic ait: & primis ſupplex dedit oſcula palmis.
Contra virgo novis iterum ſingultibus orſa eſt:
Linquo domos patrias te propter, opeſque meorum;

Nec jam nunc regina loquor: ſceptriſque relictis
Vota ſequor: ſerva hanc profugæ, prior ipſe dediſti
Quam (ſcis nempe) fidem: Dî noſtris vocibus adſunt;
Sidera & hæc te meque vident: tecum æquora, tecum
Experiar quaſcunque vias: modo ne quis abactam
Huc referat me forte dies, oculiſque parentis
Ingerat. hoc ſuperos, hoc te quoque deprecor, hoſpes.
Hæc ait, atque furens rapido per devia paſſu
Tollitur. ille hæret comes, & miſeratur euntem;
Cum ſubito ingentem media inter nubila flammam
Conſpicit, & ſæva vibrantes luce tenebras.
Quis rubor iſte poli? quod tam lugubre refulſit
Sidus? ait. reddit trepido cui talia virgo:
Ipſius en oculos & lumina torva draconis
Aſpicis: ille ſuis hæc vibrat fulgura criſtis;
Meque pavens contra ſolam videt, ac vocat ultro;
Ceu ſolet, & blanda poſcit me pabula lingua.
Dic age nunc, utrum vigilanti hoſtemque videnti
Exuvias auferre velis; an lumina ſomno
Mergimus, & domitum potius tibi tradimus anguem?
Ille ſilet; tantus ſubiit ut virginis horror.
Jamque manus Colchis, crinemque intenderat aſtris;
Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
Somne pater: Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco, inque unum jubeo nunc ire draconem:
Quæ freta ſæpe tuo domui, quæ nubila cornu,
Fulminaque, & toto quidquid micat æthere: ſed nunc,
Nunc, age, major ades, fratrique ſimillime leto.
Te quoque, Phrixeæ pecudis fidiſſime cuſtos,
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.

Quem metuis me hic ſtante dolum? ſervabo parumper
Ipſa nemus. longum interea tu pone laborem.
Ille haud Æolio diſcedere feſſus ab auro,
Nec dare permiſſæ (quamvis juvet) ora quieti
Suſtinet; ac primi percuſſus nube ſoporis
Horruit, & dulces excuſſit ab arbore ſomnos.
Contra Tartareis Colchis ſpumare venenis,
Cunctaque Lethæi quaſſare ſilentia rami
Perſtat; & adverſo luctantia lumina cantu
Obruit; atque omnem linguaque manuque fatigat
Vim Stygiam; ardentes donec ſopor occupat iras.
Jamque altæ cecidere jubæ, nutatque coactum
Jam caput, atque ingens extra ſua vellera cervix.
Ceu refluens Padus, aut ſeptem projectus in amnes
Nilus, & Heſperium veniens Alpheos in orbem.
Ipſa caput cari poſtquam Medea draconis
Vidit humi, fuſis circum projecta lacertis,
Seque ſuumque ſimul flevit crudelis alumnum:
Non ego te fera talem ſub nocte videbam,
Sacra ferens epulaſque tibi: nec talis hianti
Mella dabam, ac noſtris nutribam fida venenis.
Quam gravida nunc mole jaces! quam ſegnis inertem
Flatus habet! nec te ſaltem, miſerande, peremi,
Heu ſævum paſſure diem! jam nulla videbis
Vellera, nulla tua fulgentia dona ſub umbra.
Cede Deo, inque aliis ſenium nunc digere lucis
Immemor, oro, mei: nec me tua ſibila toto
Exagitent infeſta mari. ſed tu quoque cunctas,
Æſonide, dimitte moras, atque effuge raptis
Velleribus. patrios extinxi noxia tauros;

Terrigenas in fata dedi; fuſum ecce draconis
Corpus habes; jamque omne nefas, jam, ſpero, peregi.
Quærenti tunc deinde viam, qua ſe arduus heros
Ferret ad aurigeræ caput arboris, Eia, per ipſum
Scande age, & adverſo greſſus, ait, imprime dorſo.
Nec mora fit. dictis fidens Cretheïa proles
Calcat, &, aeream quamvis, perfertur ad ornum:
Cujus adhuc rutilam ſervabant brachia pellem,
Nubibus accenſis ſimilem, aut cum veſte recincta
Labitur ardenti Thaumantias obvia Phœbo.
Corripit optatum decus extremumque laborem
Æſonides: longoſque ſibi geſtata per annos
Phrixeæ monumenta fugæ vix reddidit arbor
Cum gemitu, triſteſque ſuper coiere tenebræ.
Egreſſi relegunt campos, & fluminis ora
Summa petunt. micat omnis ager, villiſque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus:
Nunc in colla refert: nunc implicat ille ſiniſtræ.
Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris
Ibat, adhuc aptans humeris capitique leonem.
Ut vero ſociis, qui tunc prædicta tenebant
Oſtia, per longas apparuit aureus umbras;
Clamor ab Hæmonio ſurgit grege: ſe quoque gaudens
Promovet ad primas juveni ratis obvia ripas.
Præcipites agit ille gradus, utque aurea miſit
Terga prius: mox attonita cum virgine puppim
Inſilit, ac rapta victor conſiſtit in haſta.
Interea patrias ſævus venit horror ad aures,
Fata domus luctumque ferens, fraudemque fugamque
Virginis: hinc ſubitis inflexit frater in armis:

Urbs etiam mox tota coit: volat ipſe ſenectæ
Immemor Æetes: complentur litora bello
Nequidquam: fugit immiſſis nam puppis habenis.
Mater adhuc ambas tendebat in æquora palmas,
Et ſoror, atque omnes aliæ matreſque nuruſque
Colchides, æqualeſque tibi, Medea, puellæ.
Exſtat ſola parens, impletque ululatibus auras:
Siſte fugam; medio refer huc ex æquore puppim;
Nata, potes. quo, clamat, abis? hic turba tuorum
Omnis, & iratus nondum pater: hæc tua tellus
Sceptraque. quid terris ſolam te credis Achæis?
Quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
Iſtane vota domus, exſpectatique Hymenæi?
Hunc petii grandæva diem? vellem unguibus uncis,
Ut volucris, poſſem prædonis in ipſius ora
Ire, ratemque ſupra; claroque repoſcere cantu
Quam genui. Albano fuit hæc promiſſa tyranno:
Non tibi. nil tecum miſeri pepigere parentes,
Æſonide: non hoc Pelias evadere furto
Te jubet, aut ullas Colchis abducere natas.
Vellus habe, & noſtris ſi quid ſuper, accipe, templis.
Sed quid ego quemquam immeritis incuſo querelis?
Ipſa fugit, tantoque (nefas) ipſa ardet amore.
Hoc erat, infelix, (redeunt nam ſingula menti)
Ex quo Theſſalici ſubierunt æquora remi,
Quod nullæ te, nata, dapes, non ulla juvabant
Tempora. non ullus tibi tum color; ægraque verba;
Erranteſque genæ, atque alieno gaudia vultu
Semper erant? cur tanta mihi non prodita peſtis,
Ut gener Æſonides noſtra conſideret aula,

Nec talem paterere fugam? commune fuiſſet
Aut certe nunc omne neſas: iremus & ambæ
In quaſcunque vias: pariter petiiſſe juvaret
Theſſaliam, & ſævi, quæcunque eſt, hoſpitis urbem.
Sic genitrix, ſimilique implet ſoror omnia queſtu
Exululans. famulæ pariter clamore ſupremo
In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant
Nomine. te venti procul & tua fata ferebant.
Inde diem noctemque volant. redeuntibus aura
Gratior; & notæ Minyis tranſcurrere terræ:
Cum ſubito Erginus puppi ſic fatur ab alta:
Vos, ait, Æſonide, contenti vellere capto,
Nec via quæ ſuperet, nec quæ fortuna videtis.
Craſtina namque dies trucis ad confinia ponti
Cyaneaſque vocat: meminique, o Tiphy, tuorum
Saxa per illa, pater, memini, venerande, laborum.
Mutandum, o ſocii, nobis iter. altera ponti
Eluctanda via; & curſu, quem fabor, eundum eſt.
Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Hiſtri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus: ſeptem exit aquis; ſeptem oſtia pandit.
Illius adverſi nunc ora petamus & undam,
Quæ latus in lævum ponti cadit. inde ſequemur
Ipſius amnis iter: donec nos flumine certo
Perferat, inque aliud reddat mare. ſint age tanti,
Æſonide, quæcunque moræ, quam ſæva ſubire
Saxa iterum; quam Cyaneos perrumpere montes.
Sat mihi: non totis Argo redit ecce corymbis.
Hæc ait, ignarus fixas jam numine rupes
Stare, neque adverſis ultra concurrere ſaxis.

Reddidit Æſonides: Et te, fidiſſime rector,
Haud vani tetigere metus; nec me ire recuſo
Longius, & cunctis redeuntem oſtendere terris.
Protinus inde alios flectunt regeſque locoſque,
Aſſuetumque petunt plauſtris migrantibus æquor.
Puppe procul ſumma vigilis poſt terga magiſtri
Hæſerat auratæ genibus Medea Minervæ:
Atque ibi dejecta reſidens in lumina palla
Flebat adhuc, quanquam Hæmoniis cum regibus iret,
Sola tamen, nec conjugii ſecura futuri.
Illam Sarmatici miſerantur litora ponti:
Illa Thoanteæ tranſit deflexa Dianæ.
Nulla palus, nullus Scythiæ non mœret euntem
Amnis: Hyperboreas movit conſpecta pruinas,
Tot modo regna tenens: ipſi quoque murmura ponti,
Jam Minyæ, jam ferre volunt: vix allevat ora,
Ad feras, ſi quando, dapes, quas carus Iaſon
Ipſe dabat: jam nubiferam tranſire Carambin
Significans, jam regna Lyci: totieſque gementem
Fallit, ad Hæmonios hortatus ſurgere montes.
Inſula Sarmaticæ Peuce ſtat nomine nymphæ;
Torvus ubi, & ripa ſemper metuendus utraque
In freta per ſævos Hiſter deſcendit Alanos;
Solvere in hoc tandem reſides dux litore curas,
Ac primum ſocios auſus ſua pacta docere,
Promiſſamque fidem thalami, fœduſque jugale.
Ultro omnes læti inſtigant, meritamque fatentur.
Ipſe autem invitæ jam Pallados erigit aras,
Incipit Idaliæ numen nec ſpernere Divæ.
Præcipueque ſui, ſi quando, in tempore pulcher

Conjugii Minyas nunquam magis eminet inter:
Qualis ſanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto ſubit, aut dilecta Cythera;
Seu cum cœleſtes Alcidæ inviſere menſas
Jam vacat, & feſſum Junonia ſuſtinet Hebe.
Adſunt unanimes Venus, hortatorque Cupido
Suſcitat affixam mœſtis Æetida curis.
Ipſa ſuas illi croceo ſubtemine veſtes
Induit: ipſa ſuam duplicem Cytherea coronam
Donat, & arſuras alia cum virgine gemmas.
Tum novus implevit vultus honor: ac ſua flavis
Reddita cura comis: graditurque oblita malorum.
Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele, feſtæque per oppida tædæ;
Quis modo tam ſævos adytis fluxiſſe cruores
Cogitet? aut ipſi qui jam meminere miniſtri?
Inde, ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras
Æſonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit; ut dextrum pariter vertantur in orbem.
Sed neque ſe pingues tum candida flamma per auras
Explicuit: nec tura videt concordia Mopſus,
Promiſſam nec ſtare fidem; breve tempus amorum.
Odit utrumque ſimul, ſimul & miſeratur utrumque:
Et tibi jam nullos optavit, barbara, natos.
Mox epulas & ſacra parant: ſilveſtria lætis
Præmia, venatu facili quæſita, ſuperſunt:
Pars verubus, pars undanti deſpumat aheno.
Gramineis aſt inde toris diſcumbitur, olim
Hiſter anhelantem Peucen quo preſſerat antro.

Ipſi inter medios roſea radiante juventa
Altius, inque ſui ſternuntur velleris auro.
Quis novus inceptos timor impediit Hymenæos;
Turbavitque toros, & ſacra calentia rupit?
Abſyrtus ſubita præceps cum claſſe parentis
Advehitur, profugis infeſtam lampada Grajis
Concutiens, diramque premens clamore ſororem:
Atque, Hanc, o ſi quis vobis dolor iraque, Colchi,
Accelerate viam: neque enim fugit æquore raptor
Juppiter; aut falſi ſequimur veſtigia tauri.
Puppe (nefas) una prædo Phrixea reportat
Vellera: qua libuit remeat cum virgine: nobis
(O pudor!) & muros & ſtantia tecta reliquit.
Quid mihi deinde fatis? nec quæro vellera; nec te
Accipio, germana, datam: nec fœderis ulla
Spes erit, aut iræ quiſquam modus. inde reverti
Patris ad ora mei tam parvo in tempore fis ſit?
Quinquaginta animæ me ſcilicet, unaque merſa
Sufficiet placare ratis? te, Græcia fallax,
Perſequor, atque tuis hunc quaſſo mœnibus ignem:
Nec tibi digna, ſoror, deſum ad connubia frater.
Primus & ecce fero quatioque hanc lampada veſtro
Conjugio: primus celebro dotalia ſacra,
Qui potui. patriæ veniam da, quæſo, ſenectæ.
Quin omnes alti pariter populique patreſque
Mecum adſunt. magni virgo ne regia Solis
Hæmonii thalamos adeas deſpecta mariti,
Tot decuit coiiſſe rates, tot fulgere tædas.
Dixerat. iique orans iterum ventoſque viroſque;
Perque ratis ſupplex vox remigis illa magiſtros.

Illi autem intorquent truncis frondentibus undam ;
Quæque die fuerat raptim formata ſub uno ,
Et tantum dejecta ſuis a montibus arbor ,
(Qnid dolor & veterum potuit non ira virorum ?)
Haud longis jam diſtat aquis ; ſequiturque volantem
Barbara Palladiam puppim ratis : oſtia donec
Danubii viridemque vident ante oſtia Peucen ;
Ultimaque agnoſcunt Argoi cornua mali.
Tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt
Gaudia : tum gravior remis fragor , ut procul Argo
Viſa viris ; uaamque petunt roſtra omnia puppim.
Princeps navalem nodoſi roboris uncum
Arripit , & loaga Stirus proſpectat ab unda ,
Conjugio atque iterum ſponſæ flammatus amore.
Jamque alii clypeos & tela trabalia dextris
Expediunt : armant alii picis unguine flammas.
Impatiens tremit haſta moræ. nec longius inter ,
Quam quod tela vetet , ſupereſt mare. vocibus urgent
Interea , & pedibus pulſant tabulata frementes ;
Cum ſubitas videre rates , vibrataque flammis
Æquora , non una Minyæ formidine ſurgunt.
Primus & in puppim deſerta virgine ductor
Proſilit , & ſumma galeam rapit altus ab haſta :
Enſe ſimul clypeoque micat. nec cetera pubes
Segnius arreptis in litore conſtitit armis.
At tibi quæ ſcelerum facies , Medea , tuorum ?
Quiſve pudor Colchos iterum fratremque videnti ?
Quidquid & abſciſum vaſto jam tuta profundo
Credideras. ergo infauſto ſeſe occulit antro ,
Non aliud quam certa mori ; ſeu carus Iaſon ,

Seu frater Graja victus cecidiſſet ab haſta.
Haud ita ſed ſummo ſegnis ſedet æthere Juno;
Haud finit extrema Minyas decernere pugna,
Nec numero quoniam Colchis, nec puppibus, æquos.
Ergo, ubi Diva rates hoſtemque accedere cernit,
Ipſa ſubit terras, tempeſtatumque refringit
Ventorumque domos. volucrum gens turbida fratrum
Erumpit: claſſem dextra Saturnia monſtrat.
Videre; inque imum pariter mare protinus omnes
Infeſto clamore ruunt: inimicaque Colchis
Æquora, & adverſos ſtatuunt a litore fluctus.
Tollitur, atque intra Minyas Argoaque vela
Stirus abit. vaſto rurſus deſidit hiatu
Abrupta revolutus aqua. jamque omnis in aſtra
Itque reditque ratis, lapſoque reciproca fluctu
Deſcendit. vorat hos vortex; hos agmine toto
Gurges agit: ſimul in vultus micat undique terror.
Crebra ruina poli cœleſtia limina laxat.
Non tamen ardentis Stiri violentia cedit.
Hortatur ſocios media inter prœlia Divûm:
Transferat ergo meas in quæ volet oppida dotes
Colchis? & Hæmonius nobis ſuccedet adulter?
Nec mihi tot magnos inter regeſque procoſque
Profuerit prona haud dubii ſententia patris?
An virtus prælata viri eſt, & fortior ille,
Quem ſequitur? jungam igniferos ſine carmine tauros,
Sævaque Echionii ferro fata perſequar hydri.
Hoc adeo interea ſpectans de litore pugnas
Amborum, victoris eris: jam digna videbis
Prœlia, jamque illud carum caput ire cruenta

Sub freta; ſemiviri nec murrha corpus Achivi,
Sed pice, ſed flammis, & olentes ſulphure crines.
Vos modo vel ſolum hoc fluctus expellite corpus,
Non te, Æeta pater, generi, aut, Sol magne, pudebit.
Fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos
Ipſa movet, diraque levat maria ardua lingua?
Atque iterum Æſonides, iterum defenditur arte,
Qua ſolet? haud illi cantus & futile murmur
Proderit. ite, rates, & frangite virginis undam.
Dixit, & intortis ſocio cum milite remis
Proſilit: ac fluctu puppis labefacta reverſo
Solvitur, effunditque viros. ipſumque minantem
Tunc quoque, & elata quærentem litora dextra.
Ibat & arma ferens & ſtrictum naufragus enſem:
Incipit & remos & quærere tranſtra ſolutæ
Sparſa ratis, mœſtas altis intendere voces
Puppibus. aſt inter tantos ſuccurrere fluctus
Nulla poteſt, aut ulla velit: quotieſque propinquat,
Tunc aliud rurſus dirimit mare. jam tamen exſtat,
Jamque abiit: fundoque iterum violentus ab imo
Erigitur: ſed fluctus adeſt, magnoque ſub altis
Turbine figit aquis, & tandem virgine ceſſit.
Abſyrtus viſu mœret defixus acerbo;
Nec quid agat, qua vi portus, & prima capeſſat
Oſtia, qua poſſit Minyas invadere, clauſos
Quos videt agnoſcitque fremens: maria obvia contra
Sævaque pugnat hiems, totuſque in vertice pontus.
Abſceſſit tandem, vanaque recedit ab ira,
Et tanta de clade ratis: latus inde ſiniſtrum
Adverſamque procul Peuces defertur in oram

Cum ſociis: gemino nam ſcinditur inſula flexu
Danubii: hac dudum Minyæ Pagaſeaque puppis
In ſtatione manent: illinc Æetius heros
Obſidet adverſa tentoria Theſſala claſſe
Impatiens; pugnæque datur non ulla poteſtas.
Noctes atque dies vaſtis mare fluctibus inter
Perfurit; expediant donec Junonia ſeſe
Conſilia, atque aliquem bello ferat anxia finem.
At Minyæ tanti reputantes ultima belli
Urgent, & precibus cuncti fremituque fatigant
Æſoniden: Quid ſe externa pro virgine clauſos
Objiciat, quidve illa pati diſcrimina cogat?
Reſpiceret pluresque animas, majoraque fata
Tot comitum: qui non furtis, nec amore nefando
Per freta, ſed ſola ſeſe virtute ſequantur.
An vero, ut thalamis raptiſque indulgeat unus
Conjugiis? id tempus enim. ſat vellera Grajis:
Et poſſe oblata componere virgine bellum.
Quemque ſuas ſinat ire domos: nec Marte cruento
Europam atque Aſiam prima hæc committat Erinnys.
Namque datum hoc fatis, trepidus ſupplexque canebat
Mopſus, ut in ſeros irent magis ipſa nepotes,
Atque alius lueret tam dira incendia raptor.
Ille trahens gemitum, tantis ac vocibus impar,
(Quamquam jura Deûm, & ſacri ſibi conſcia pacti
Relligio, dulciſque movent primordia tædæ)
Cunctatur, mortemque cupit, ſociamque pericli
Cogitat: haud ultra ſociis obſiſtere pergit.
Hæc ubi fixa viris; tempus fluctuſque quietos
Exſpectant: ipſam interea, quid reſtet, amantem

Ignorare ſinunt, decretaque triſtia ſervant.
Sed miſer ut vanos, veros ita ſæpe timores
Verſat amor; falliquе ſinit nec virginis annos.
Ac prior ipſa dolos & quamlibet intima ſenſit
Non fidi jam ſigna viri, nimiumque ſilentes
Una omnes. haud illa ſui tamen immemor unquam,
Nec ſubitis turbata minis, prior occupat unum
Æſoniden, longeque trahit; mox talibus inſit:
Me quoque, vir, tecum Minyæ, fortiſſima pubes,
Nocte dieque movent: liceat cognoſcere tandem,
Si modo Peliacæ non ſum captiva carinæ,
Nec dominos decepta ſequor, conſultaque veſtra
Fas audire mihi. vereor, fidiſſime conjux,
Nil equidem: miſerere tamen, promiſſaque ſerva
Uſque ad Theſſalicos ſaltem connubia portus:
Inque tua me ſperne domo. ſcis, te mihi certe,
Non ſocios juraſſe tuos. hi reddere forſan
Fas habeant: tibi non eadem permiſſa poteſtas.
Teque ſimul mecum ipſa traham. non ſola repoſcor
Virgo nocens: atque hac pariter rate fugimus omnes.
An fratris te bella mei, patriæque biremes
Terrificant? magnoque impar urgeris ab hoſte?
Finge rates alias, & adhuc majora coire
Agmina. nulla fides? nullis ego digna periclis?
Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?
Vellem equidem noſtri tetigiſſent litora patris
Te ſine, duxque illis alius quicunque fuiſſet.
Nunc remeant; meque ecce (nefas) & reddere poſſunt:
Nec ſpes ulla ſuper. quin tu mea reſpice ſaltem

Conſilia ; & nimio comitum ne cede timori.
Credidit ardentes quis te tunc jungere tauros
Poſſe ? quis ad ſævi venturum templa draconis ?
O uinam ergo meus pro te non omnia poſſet ,
Atque aliquid dubitaret amor ! quin nunc quoque quærit,
Neſcio quid , tuus iſte pudor. mene , optime quondam
Æſonide , me ferre preces , & ſupplicis ora
Fas erat ? haud hoc nunc genitor putat : haud dare pœnas
Jam ſceleris , dominumque pati. ſic fata parantem
Reddere dicta virum furiata mente refugit
Vociferans. qualem Ogygias cum tollit in arces
Bacchus , & Aoniis illidit tympana truncis :
Talis erat , talemque jugis ſe virgo ferebat ,
Cuncta pavens. fugit infeſtos vibrantibus haſtis
Terrigenas , fugit ardentes exterrita tauros.
Si Pagaſas , vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret , & Tempe viridi lucentia fumo ;
Hoc viſu contenta mori. tunc tota querelis
Egeritur queſtuque dies : eademque ſub aſtris
Sola movet. mœſtis veluti nox illa ſonaret
Plena lupis , quaterentque truces jejuna leones
Ora , vel orbatæ traherent ſuſpiria vaccæ.
Procedit non gentis honos , non gloria magni
Solis avi , non barbaricæ decor ille juventæ.
Quid dubitas ? heu , dure , ſiles ? magnumque minatur.
Qualis erat , cum Chaonio radiantia trunco
Vellera vexit ovans ; interque ingentia Grajûm
Nomina Palladia virgo ſtetit altera prora.
Mœſtus at ille minis , & nota Colchidos ira ,

Hæret: & hinc præſens pudor, hinc decreta ſuorum
Dura premunt. utcunque tamen mulcere gementem
Tentat & ipſe gemens, & tempora currere dictis.
Mene aliquid meruiſſe putas? me talia velle?

Reliqua deſiderantur.

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

verborum & phraſium aliquot inſigniorum, quæ in Valerio Flacco occurrunt.

A.

Abactus, repudiatus. 8, 51.

Abducere pugnæ, pro a pugna. 6, 298.

Abjectus, pro remotus, loco ſuo motus, ſc. per violentiam æſtus marini. 4, 654.

Abit ſummus, i. e. aſcendit, aſſurgit. 4, 203.

Abruptus, præceps, rapidus, 6, 84.

Accidere aures, ad aures venire. 2, 452.

Accreſcere famæ fraternæ. 1, 178. i. e. addi.

Acerbare mortem, triſtiorem efficere, ſc. addendo acerba dicta, & inſultando proſtrato. 6, 655.

Acinaces, Parthorum & Medorum gladius. 6, 701.

Aclydes, clavæ breviores, ferreis acuminibus hic illic eminentibus. 6, 99.

Acuere fletus, majori impetu ingeminare. 2, 172.

Adducere, pro ad ſe trahere. 6, 133.

Adeſum jugum, 2, 30. ſc. ignibus.

Adfore, pro adeſſe. 1, 799. 2, 131. 3, 82 & alibi.

Adfremere. 1, 528.

Adhibere, pro adhibe. 3, 412.

Admonere, invocare. 4, 349.

Adſtrictus, arcte & firmiter apprehenſus, 1, 282.

Advena Oceanus. 1, 588.

Ægan, pro Ægæum pelagus. 1, 629.

Ægiſonum pectus Palladis. 3, 88. i. e. ægide ſonans. Eſt autem ægis lorica ænea, cui Meduſæ caput inſculptum.

Æquora, pro campis. 6, 239. 7, 469 & alibi.

Æquoreus, pro litoreo & mari proximo. 5, 92.

Aer rami, faſtigium, ſummitas. 6, 261.

Æripedes tauri, ungulas æreas habentes. 7, 545.

Æriſona ora, 1, 704. armiſona, propter dactylos Idæos Jovis fabros, vel propter ſaltationem, quam Latini *bellicrepam* dixerunt, inventam in Creta. *æriſo-*

nus mons, 3, 28. Dindymus, ubi Corybantes æra quatiebant.
Æternus Mars, pro inteſtino, qui nunquam ceſſat. 6, 38.
Æthere plenus, lumine circumfuſus. 5, 183.
Affatus, collocutio. 1, 299.
Agere, gubernare, regere. 1, 689. 5, 46. movere. 2, 77. inquietare, vexare. 3, 393. 5, 15.
Agitare, ſimpliciter, pro meditari, in animo habere. 2, 164.
Agger rudis, ara terrena, impolita. 5, 642.
Alæ rutilæ, de fulmine alato, ut pingi ſolebat. 6, 56.
Albentes parmæ, i. e. ſine inſignibus. 6, 99.
Alipes currus, velociſſimus. 5, 612.
Alnus trunca, navis ſine clavo & armamentis. 2, 300.
Alterni greſſus, de claudicante Vulcano. 2, 93.
Altus, reconditus & profundus. 5, 309.
Altum ardens, mare ſole orientе rubens. 3, 429.
Ambitus ſenex, ambitione prenſatus. 5, 622.
Amens rigor, ſtupor animi. 3, 576.
Amnigena, ab amne genitus. 5, 585.
Amores, puellæ l. conjuges. 6, 121, 268.
Angues, pro pedibus anguineis. 2, 28.
Animum da, oſtende te nihil timere, præſta te virum. 1, 41.
Annue hanc militiam mihi, ne detrecta laborem hujus militiæ. 1, 41.
Anteire, prævertere, antevenire. 1, 31.
Aquilonia hiems. 6, 715.
Aræ nocturnæ, pro ſacrificiis nocturnis. 6, 440. Intelliguntur vero Hecates ſacra.
Arces, pro verticibus montium. 3, 565. *arces Rhipææ*. 7, 562.
Arcipotens Apollo. 5, 17.
Arcus refutat notos, 6, 124. cum ſcilicet ſolitæ vires ad arcum tendendum deficiunt.
Ardens humeros vellere, i. e. humeris aurei velleris fulgore radiantibus. 1, 346. *ardentes murice veſtes*. 3, 340.
Ardere, impenſe cupere. 6, 46.
Ardor, deſiderium. 6, 150.
Arma, pro ferramentis. 5, 142. *arma expreſſa caſus ſuos*, i. e. clypeus, in quo eventuum ſuorum argumentum cælatum erat. 1, 398. *arma hoſpita*. 2, 662.
Armare flammas unguine picis, inſtruere tædas pice. 8, 302.
Armiſona Pallas. 1, 73.

Armos revocantem, 6, 257. i. e. tentantem rurſus erigere equum labentem.
Arva gentibus conferta. 2, 617.
Arundo. — *Ante manu tacita cui plurima crevit arundo*, 6, 262. Genus hoc aucupii tale fuit, notante Voſſio: Accipiebat auceps plurimas arundines, eaſque ita aptabat, ut una alteri includeretur. Itaque ſi avem in ſumma arbore animadverteret, tacita manu arundinum ordinem erigebat, ut tamdiu in altum excreſcerent, donec avis viſco, quo ſuprema arundinum illita erat, corriperetur.
Aſperrima rerum. 1, 725.
Aſſidere, pro obſidere. 5, 536.
Aſtra nuda, pro nocte. 2, 171.
Aſtriferæ noctis *umbræ*. 6, 752.
Aſylus, muſcæ genus, armentis infeſtum. 3, 581.
Atrox, 6, 662. obfirmans animum contra amorem.
Audentius, majore audacia. 6, 681.
Auferre ſe, ex oculis ſe rapere. 3, 636.
Auguret, pro auguretur. 3, 356.
Avia, deſerta. 2, 459. 3, 545.
Avidi greſſus, i. e. celeres. 1, 183.
Aura purpurea, pro ſanguine. 3, 107.
Auræ juvant, i. e. propellunt navem. 2, 586.
Aurigera arbor, 8, 110. ex qua ſuſpenſum vellus aureum.
Aurum vacuum, poculum aureum ſiccatum. 1, 148. *non leviore auro*, æque magno & gravi poculo aureo. 1, 338. *ſævum aurum*, pro Comete. 5, 370. *liquidum aurum*, pro ramentis aureis iiſque puris; vel, ſi malis, unguento χρυσοειδεῖ, unde color flavus proveniebat. 6, 710.

B.

Bacchata Dindyma, mons Phrygiæ, in quo Corybantes Cybeles ſacerdotes bacchabantur, & clamores tollebant. 3, 20.
Belligeri labores. 5, 618.
Bellipotens, 1, 529. Martis epitheton.
Bellum, pro ſemine, ex quo naſcituri erant bellatores. 7, 609.
Bivii calles. 5, 395.
Blando anfractu ſinuoſa litora. 2, 451.
Bonus, præſtans, peritus. 1, 438.
Brachia, pro ramis arboris. 8, 114.
Brevis luna, 3, 194. i. e. quæ

exiguo ſpatio inter nubila lucebat.

C.

Cadens matre, i. e. utero vix egreſſus. 1, 355.
Cælata plumbo terga taurea, i. e. lora e corio bubulo, quibus infutæ ſunt maſſæ plumbeæ. 1, 420.
Cæſaries flava galeri. 6, 626. Pius capit de filamentis, quæ præſuuntur ore galeri, ex holoſerico, vel panno bombycino.
Canis aquis tollitur campus. 5, 307. i. e. nive fit altior.
Captus, pro deceptus. 2, 43. *captum litus*, a monſtro marino infeſſum. 2, 493.
Cardine ſummo verti, in ſummo periculo verſari. 5, 19.
Caſtella incluſa. 3, 739. pro paſtoribus, qui greges caſtellis, i. e. ſeptis, circumdant.
Cateja, genus teli, quo utebantur Teutones, Galli, & Scythæ 6, 83.
Catena mollis. 6, 233. tam affabre & artificioſe facta, ut rigidam loricam alligaret molliter. Ita contra *dura* dicuntur, quæ rudius & non elaborate facta ſunt facta.
Centumgemina Thebe. 6, 118. urbs Ægyptia, centum portis inſignis. Græcis ἑκατόμπυλος.
Certa ſidera, ſplendida, clara, quorum ductu curſus diriguntur. 1, 18. *certus Olympus*, ſerenus. 2, 66. Sic contra *incertus æther*, 1, 307.
Certantes rogi. 2, 476. i. e. tam frequentes, ut quaſi certarent inter ſe.
Ceruchi, funes, quibus cornua antennarum firmantur. 1, 469.
Chalybs, pro ferro, vel enſi. 5, 541. 6, 342.
Chaos, pro inferis & Ditis domo. 1, 831. 2, 86. 4, 123. 5, 96. 7, 402.
Circumflua ponto gemino urbs. 5, 443. Corinthus, quam ſcilicet mare geminum circumfluit, Jonium, & Ægæum.
Clamor cæcus, i. e. confuſus. 2, 461. *clamores mali*, 1, 646. qui ſunt miſerorum in extremis conſtitutorum.
Clarus, manifeſtus, Gr. δῆλος. 6, 181.
Clemens turbo, i. e. placidior & minus vehemens, quam in procellis eſſe ſolet. 6, 747.
Cluſus, pro clauſus. 1, 34. *cluſos invenit in ignibus Argos*. 1, 239. i. e. non rediturum ſe in patriam, per πυρομαντείαν videbat.

omen capiens ex flamma victimæ.

Cœlum reparabile nulla gaza, i. e. cœli aſpectus nullis divitiis reparabilis. 6, 562. *cœlum tradere*, i. e. ſpectationem ſiderum, ſecundum quæ curſus inſtitui debeat. 1, 418. Sic 5, 47. *Cui Minyas, caramque ratem, cui ſidera tradis?*

Cogere ſagittas, i. e. in deſtinatum locum ut eant, cogere. 1, 438. *litoribus ſua cogit hiems.* 2, 505. i. e. tempeſtas, quam ipſa bellua excitat, cogit litoribus, i. e. continet, coercet, ne ulterius progrediatur.

Colus alias dare ſine lege, i. e. alia vivendi tempora, contra fatorum ordinem. 6, 445.

Comantem pectora. 5, 595. Pius ad barbam refert; Heinſius & Burm. melius ad hirſutiem.

Condere urbes, ex oculis amittere. 2, 443.

Conducere vulnera, rimas jungere, atque obſtruere. 1, 480.

Conferre genas, pro oſculari. 3, 309.

Congeries, incondita & temere confluens turba, & acervus. 3, 98. 6, 511.

Congruere, in unum convenire. 2, 307. 6, 59.

Conſiſtere, pro conſtituere, morari. 6, 209. ſc. equum, ne aufugeret.

Conſortia famæ, rerum geſtarum gloriæque communio. 3, 677.

Conſpectus, pro conſpiciendus, i. e. illuſtris, excelſus, præclarus. 6, 296.

Contriſtare, obumbrare. 3, 427.

Cornu Iſtri, pro oſtium. 8, 186.

Corripere æquora, raptim ſecare. 1, 132.

Corymbi, duæ extremitates ſive cornua navis. 1, 273. 4, 691.

Crinis ignis, pro flamma. 1, 205. *crinemque intenderat aſtris.* 8, 68. Burm. intelligit de rotatione capitis, quæ ſparſis capillis a vaticinantibus fieri ſolebat.

Criſpans pelagus Phœbo. 1, 311. radiis ſolis undas tremulas perſtringens.

Crudeſcere, efferari, impelli. 2, 509.

Cura jugalis, zelotypia. 4, 354.

Currere, pro percurrere. 8, 467. *currere freta*, maria pernavigare. 4, 336.

D.

Damnare, pro mutare. Sic 1, 70. *flava quercum damnavit ariſta*, ſed efficaciori ſenſu, quaſi rebus ipſis oſtendiſſet eſſe vilio-

res glandes, & proſcripſiſſet, ne uterentur homines. *Damnatus*, morti deſtinatus. 1, 787.
Dare terras magiſtro, i. e. videre, & oſtendere, quo curſum dirigere debeat magiſter. 1, 465. *dedit uſque fretum*. 2, 29. i. e. traxit uſque ad fretum.
Decima unda. 2, 54. fluctus decumanus reliquis omnibus valentior.
Defectus, pro languens. 7, 116. *defecta ratis*, fatiſcens, rimis patens. 2, 285. *defecta ora*, pallentia, deficientia. 2, 463.
Defenſus, pro vindicatus. 4, 67.
Degeneres, qui ſunt ſervili origine, non ingenua. 6, 86.
Dejicere, verbum uſitatum tam de cæde hominum, quam ferarum, in ſacris & in venatu. 1, 191. 2, 329. 6, 194 & 218.
Demittere ferro robora, ſilvas cædere. 1, 94.
Depopulare, macerare, affligere. 4, 429.
Dequeſtus, valde queſtus. 5, 449.
Deſes terra, quæ nullam materiem virtuti præbet, ubi nulla belli occaſio. 3, 660.
Deſpumare. 8, 254.
Dextra Jovis, pro fulmine, quod dextra ſolet vibrare. 3, 89.
Dictus, pro pactus, promiſſus. 2, 577. 6, 268. pro deditus. 3, 671.
Dies ſuus, a fato dictus & præſtitutus. 5, 12. 6, 628.
Digerere ſenium, i. e. agere. 8, 102.
Diræ voces, quæ ad ſcelus impellunt. 7, 299. *diræ fraudes*. 6, 591.
Diſſona planctu juga. 3, 359.
Diſtringere, quaſi eradere. 7, 330.
Dives ab armento. 6, 204.
Docta bipennis. 1, 122. ſc. Argi, qui fabricandæ navis magiſter, & a Pallade doctus erat.
Donaria certant, dona certatim dicantur. 5, 645.
Donat & Iphiclo pelagus juvenumque labores. 1, 473. i. e. remittit labores, & dat ipſi vacationem & immunitatem operis nautici & remigii.
Duræ gentes, bellicoſæ & laboribus exercitatæ. 5, 309.

E.

Educere noctem ludo. 1, 251. *nimbos luxu*. 2, 371.
Effugere, pro effugere tentare, moliri egreſſum. 2, 237.
Effuſa manus, Græciſm. pro extendens manus ad amplectendum virum. 1, 762. *effuſi lacerti*. 4, 375.
Egeſta nox, conſumta. 5,

299. Sic infra 8, 454 *egeritur — dies.*
Egeſtas trahitur victu. 4, 459. i. e. vivendo producitur.
Ejicere terris, pro in terras. 6, 410.
Eluctanda via, ſuperanda, tranſeunda. 8, 184.
Emicare, proſilire. 2, 543.
Enſes, pro cultris, quibus jugulabantur victimæ. 5, 480.
Equi, pro ventis. 1, 611.
Erigere, in altum tollere. 1, 157.
Error operum defixerat Minyas. 5, 456. i. e. obſcuritas argumenti, quod cum ignorarent, quid portenderet, attonitos Minyas reddebat.
Everberare. 6, 737.
Excipere, ſuſtentare. 2, 253. venabulo confodere. 6, 422.
Exigere aliquem, ejicere vel expellere vita. 6, 572. Sic 3, 382 *ferroque morantes exigere hinc animas.—Exigere montem*, ſuperare. 2, 75.
Exorabilis, pro qui exorat. 1, 782. *Exorabile retro carmen agens.* Pius *retro* cum *agens* jungit, & explicat, reiterans, vel avertens ſe dum dicit. Burmannus putat cum priori jungendum, & *carmen retro exorabile* notare, quod antea, olim uſitatum erat, quo olim Stygios Deos exorare ſolebat.
Experiendus. 5, 320.
Expers ævi canentis, ſenectutis neſcius. 6, 122.
Exſecti comati Bellonæ. 7, 636. ſacerdotes hujus Deæ, qui furore perciti, brachia ſibi cultris & bipennibus ſauciabant.
Exſolvere noctes imagine, liberare mentem, ne in ſomniis imago ſcelerum obverſetur. 2, 219. cf. 3, 363.
Exſors, in quo ſorti locus non eſt. 4, 340.
Extrahere noctem, ducere, conſumere. 1, 278.
Extremæ manus, digitorum apices. 1, 293.
Exuere polum. 3, 2. i. e. ſerenare, & nubibus, quaſi veſte, detractis, luce aperto perfundere. *exuere haſtam*, extrahere, evellere. 6, 253.

F.

Facilis, mobilis, levis. 4, 6. *faciles animæ.* 1, 151. i. e. credulæ, quibus tam facile hæc expeditio perſuaderetur. *faciles domus.* 6, 323. quæ cultiori & humaniori vitæ facile omnia ſuppeditant, & affluunt neceſſariis ad cultum & victum.
Falcati currus, falcibus ar-

mati, quæ obvios quoſque in prœliis demetebant. 6, 105.
Famuli artus, membra tyranno obnoxia. 1, 749.
Fata trahere, diutius extendere vitam. 1, 764. Alio ſenſu occurrit 3, 221. pro producere adhuc vitam, mox periturum. Contrarium eſt *fata capeſſere*. 1, 768.
Fatigare ſilvas, venando ſcrutari. 3, 21.
Fercula regni Eoi, ſpolia hoſtilia, quæ Bacchus devictis Indis in triumpho prætulit. 3, 539.
Ferre, pro auferre. 2, 577. 6, 268. pro jactare, arroganter præ ſe ferre. 4, 237. pro incitare, ſtimulare, huc & illuc rapere. 3, 694.
Fervere, ſecunda correpta, a *fervo*, *is*. 1, 121. loca vero *fervere* dicuntur, quæ frequentia hominum celebrantur.
Fingere, pro domare, ac emollire. 5, 534.
Finis, pro morte. 1, 768.
Flammæ ſacræ, pro fulmine. 2, 25.
Flammata veneno tela, ardenti veneno temperata. 1, 108. *flammata pudore juventus*. 4, 655.
Flammifer Olympus. 1, 4.
Flatus, arrogans jactatio. 3, 631 & 699.
Flebile, pro flebiliter. 2, 453.
Flebile gaudens. 7, 215.
Flectunt, pro flectendo tranſeunt. 8, 200.
Florere, pro lucere, fulgere. 5, 565.
Fluere, pro diffluere, diſſipari. 3, 98.
Fragilis unda, glaciata, & ſub pondere diſſolubilis. 6, 147.
Fragoſa lux, ſplendor fulgurum cum tonitru. 2, 198.
Fraternus, pro conſanguineus. 2, 565.
Frenator, qui freno cohibet. 6, 162.
Freta juſſa. 1, 74. profectionem maris injunctam. *freta curva*. 1, 615. curvata, undis in altum ſublatis.
Freti vultus, maris aſpectus. 7, 541.
Frigida terra. 2, 386. quæ non turbatur tumultu bellico, ſed otio & quiete quaſi friget.
Frui armis, ſumma cum voluptate ſpectare arma. 6, 485.
Fuga ſe addit mentibus, terror animos pugnantium invadit. 6, 181.
Fulgere, ſecunda correpta, a *fulgo*, *is*. 8, 284.
Furiala oſcula. 7, 254.
Furialis, furorem inducens. 6, 670.
Furiata mens. 8, 445.

G.

Gelidus, glaciatus. 6, 100.
Gemina Abydos. 1, 285. appropinquantibus enim apparet gemina propter Seſti vicinitatem.
Genæ, pro oculis. 7, 258. *errantes genæ.* 8, 164. mobiles, & contra pudorem virgineum ſæpe in Jaſonem flexi, & iterum alio ſe flectentes, inquieti.
Gens, ſimpliciter pro gente Judaica. 1, 15.
Gleba bellatrix, unde armati milites naſcebantur. 7, 612.
Gliſcere, ardere. 5, 372.
Grandæva conſilia, ſenilia, vel anilia. 7, 348.
Gravis, pro gravis annis. 1, 296. *gravis dextra*, quaſi venenata & infecta. 1, 817. letifera. 4, 311. *gravis fluvius*, grave olens. 4, 597. *gravior de vulnere.* 6, 65. i. e. tardior, vix incedere valens, nec bello interesse propter vulnus.
Gravidum cornu Cynthiæ. 2, 56. i. e. obnubilatum, & pluvias minans.

H.

Habena, pro funda. 5, 609.
Habenæ, pro æquo & moderato imperio. 5, 519.
Harpe, enſis falcatus. 4, 390.
Haurire, intentiſſime audire, & in intimam mentem demittere; metaphora a bibendi aviditate ducta. 1, 263.
Heriles inceptus, heri ſeu domini conatus. 6, 124.
Hibernus Juppiter, tempeſtatum auctor. 3, 578. Juppiter autem ponitur pro aere. *hibernus arcus*, de Iride. 6, 632.
Hiems non ſolum pro tempeſtate, ſed & quibuſvis fluctibus majoribus apud Valerium ſæpe occurrit.
Hiems ignea Veſevi. 4, 509.
Honor ſævus in ſuperos. 6, 152. int. ſacrificia, quæ victimis humanis peraguntur. *honores*, pro ornamentis. 1, 129.
Horridus, incultus, vaſtus. 7, 62.
Horriferus axis, ſeptemtrionalis. 5, 518.
Horriſona buxus, tibia buxea horrorem ſonitu incutiens. 2, 584. *horriſonum flagellum.* 7, 149.
Hortamen. 6, 94.

I.

Ignes, pro ſtellis. 2, 65. 5, 416.
Igneſcere. 5, 521.
Iit, pro ivit. 6, 685.
Imbuere terras vomere, primum verſare. 1, 70.
Immiſſus crines de vertice. 1, 412. i. e. promiſſo ca-

pillo, & in collum defluente.
Immurmurare. 7, 312.
Impervia tellus, inacceſſa. 2, 643.
Implet vocibus, i. e. ſtimulat & impetum addit. 2, 126.
Implorabile. 1, 573. quod expeti & implorari oporteat.
Impreſſo cubili. 8, 9. Sed ſeparatim vult legi Burm. *in preſſo cubili.*
Improba arva. 1, 510. latifundia & plani campi in longum extenſi, nullis ſilvis, montibus aut rupibus horridi, ſed gleba ubere fertiles, & quæ meſſes immenſas ferunt. Non multum diſſimili ratione 2, 631 *improba arva* vocantur, quæ quaſi audacia & temeraria ſe nimis in mare extendere nullo jure, ſed quaſi per vim, non verentur.
In præpoſ. finem notat 1, 17. *Neque enim in Tyrias Cynoſura carinas* &c. Senſus eſt: non certiorem eſſe Cynoſuram ad dirigendas naves Tyrias ſtella Veſpaſiani, quæ luce ſua omnes, quibus nautæ utantur, vincat. Sic 7, 545 *in prœlia.*- *In*, pro ſub. 2, 174. *In imagine Dryopes*, mutata in Dryopes figuram.
Incaneſcere. 6, 611.
Incendia, pro bellis. 8, 399.
Inceptus, *us.* 6, 124.
Incidere, pro occurrere. 7, 404.
Incitare haſtas, movere, vibrare cum impetu & celeritate. 1, 409.
Inconſulta brachia, temere jactata. 4, 302.
Incutere, pro percutere. 5, 551. *incuſſa maſſa.* 2, 339.
Inexpletæ curæ. 6, 759.
Inſit, pro fatur. 1, 666.
Iniquum merum, nimis grave, quod plus onerat, quam quis ferre poſſit. 3, 65. *iniqui paſſus*, non æqui, majores. 3, 486.
Inops, conſilii egens, æger animi. 3, 609. 4, 5.
Inſana ſaxa, immania, & minacia altitudine ſua. 4, 641.
Inſonuit litore. 2, 91. i. e. cadens ſonum fecit.
Inſperata fraus, non exſpectata. 4, 293.
Inſtare, ſtimulare. 1, 30 & 302. *noſtriſque nepotibus inſtent.* 1, 249. i. e. ſtimulent eos ad virtutem & ſimilia facta.
Inſtituere. 1, 566. *durum vobis iter & grave cœli inſtitui*, i. e. præivi vobis exemplo meo, & oſtendi arduam in cœlum eſſe viam.
Integer urbis. 2, 374. i. e. non corruptus deliciis & otio urbis.
Intendere ſimpliciter, pro animum intendere. 6, 600.
Intermicare. 4, 662.

Interrogare aera. 1, 233. augurum erat, qui volatus avium obſervabant.
Intervolare. 2, 614. *intervolare oculis.* 5, 27.
Ira, Bellona l. Enyo. 5, 138. *ſanguinea ira lunæ.* 7, 330. int. ſpumam lunarem, cujus magnus uſus in magicis ſacris. cum ſpumaret vero, irata eſſe videbatur & ſanguinea.
Jubæ fidus, i. e. ſplendor. 6, 606.
Jubar nitidum, pro ſole. 3, 429. *jubar luctificum*, dies luctum afferens. 3, 292.
Juga pinea montis. 2, 634.

L.

Labantia tabo terga, i. e. diffluentia. 3, 150.
Laboratum ævum. 5, 226. quod omne ærumnis & laboribus exactum eſt miſere.
Lac ferinum, pro equino. 2, 157.
Lætabile, lætitiam efficiens. 6, 606.
Lætus æthere, i. e. cœleſti ſede & honore. 2, 415. *lætus opum paciſque.* 3, 659.
Lætus, pro gratus. 1, 30 & alibi.
Lævum advenit. 1, 156. i. e. læva ex parte.
Lamna gracili pinus diſſolvere. 1, 123. i. e. in tenues tabulas diſſecare.
Laude canere. 1, 105.
Laudes, pro militari virtute & fortibus factis. 6, 546.
Legem (ſc. maris, qua cavetur inacceſſum eſſe) *defendere.* 1, 213. i. e. cavere, ne violetur.
Legere, pro colligere, animo ſecum reputare. 4, 440.
Legio Argoæ ratis. 7, 573. quinquaginta Argonautæ.
Levior Deus, benignior, magis favens, & minus nocens. 2, 323. *levior mens.* 7, 156.
Liquuntur malæ. 6, 247. i. e. diffluunt.
Loco ſtare, eodem ſemper ſtatu manere. 2, 99. *loco Æetæ*, ex parte Æetæ. 6, 23.
Longiſſima Phaſidis unda. 7, 564. i. e. quam longe Phaſis extenditur, per omnem ejus ripam.
Lubricus aſtu, doloſus. 2, 555.
Lucifera Diana. 7, 179.
Luctamen, ingens conatus, aut labor. 3, 39.
Luctifer annus, peſtilens. 3, 454.
Luctificum clangente tuba. 3, 349.
Luere, ſolvere, luſtrare. 3, 407. *luere reſponſa*, irritum reddere oraculum. 2, 570. *luere moras*, pœnas pro mora ſolvere. 5, 547.
Lumina, pro rimis. 1, 129. *ſparguntur litore curvo lumina, nondum ullis terras*

monſtrantia nautis. 1, 275. Burm. explicat de ignibus & luminibus in caſis & domibus ab habitantibus accenſis, non certo conſilio, ut nautis monſtrarent terras, ſed in uſum habitantium: hæc jam nondum terras monſtrabant; non enim eum in finem accenſa erant, ut poſtea in pharis, navigatione magis frequenti, oſtendebantur. Vel poſſent *ignes* intelligi, quos certis & celſis in locis accendebant ad ſigna danda; cf. 4, 755. *lumina ſtellantia nube glauca.* 2, 500.
Luſtramen, pro luſtratio, expiatio. 3, 409. pro purgamen, ſordes. 3, 442.
Luſtrificus cantus, luſtralis. 3, 448.
Lux, pro vita. 4, 458.
Lymphare, furore implere. 3, 46.

M.

Machina muri. 6, 383. i. e. turris.
Magiſtri, abſolute, pro paſtoribus, vel gregum cuſtodibus. 6, 536.
Magni obitus. 1, 769. i. e. pulchra & memoranda mors.
Male lætus. 2, 556. non bona fide lætus, diſſimulans dolorem, & lætitiam vultu præferens.
Malus; fallax, perfidus, vulpinaris. 6, 12.
Manus, facta, res manu geſtæ. 5, 132. *primæ a matre manus.* 7, 621. primæ ex terra (illa enim *mater*) ſublatæ.
Marmor, pro mari glaciato. 6, 568.
Materna ætas, ætas partui edendo apta. 2, 325.
Mavortia conjux, Venus. 2, 208.
Medicabile carmen, vim habens medendi. 4, 87.
Medium tempus, tempus induciarum. 6, 26.
Melior contundere. 1, 424. Helleniſmus, poetis familiariſſimus.
Mens, pro fiducia, perſeverantia. 4, 568.
Militia, expeditio. 1, 40.
Minans timide. 7, 597.
Miniſtrare ratem vento ſtelliſque. 3, 38. curſum dirigere ad ſtellas, & vento obſequi.
Minor ſcopulos aut antra tellus. 1, 582. Græciſmus, pro tellus quæ minores ſcopulos & antra habet.
Minores, pro poſteri. 3, 455.
Minyæ, Theſſaliæ incolæ, ex Orchomeno Minyeo oriundi; quo nomine Argonautæ ſæpius inſigniuntur, quod horum præſtantiſſimi ex illorum gente fuerunt.
Miſſile nutritum ventis Edonis. 6, 340. haſta, quæ

in ſilvis Thraciis crevit, ventorum flatu durata.
Mittere, pro reponere, reſervare. 6, 538.
Mixta perit virtus. 6, 200. i. e. non poſſunt ſingulorum facta dignoſci præ turba & tumultu.
Monitus Divûm, inſtinctus, quo vates futura prædicunt. 1, 231. *monita ſpondentia.* 6, 117. vaticinationes promittentes certam victoriam.
Monſtrifera noverca. 5, 43. Juno, quæ privignum Herculem novis indies monſtris oblatis fatigabat. *monſtriferi campi* Colchidos. 5, 222. *monſtriferi ſinus.* 2, 498.
Monſtrificæ artes, magicæ, portentorum effectrices. 6, 153.
Monſtrum irrevocabile belli. 6, 6. de haſta, quæ belli indicti ſignum erat, capiunt interpretes; quæ ingens; ut Deo conveniat, *monſtrum* dicitur
Mora corticis crudi. 6, 97. i. e. ſcutum e cortice arboris, quod telorum vim morari poſſit. Ita *loricæ moras* dixit Virgilius Æneid. X, 485.
Mors, pro genere mortis. 2, 469. 7, 332.
Mos ductus avis, mos deductus ab avis. 6, 125.
Motus, perturbatus. 2, 73. ſedibus evocatus. 5, 465.
Movere æquora. 5, 44. ſcil. remis.
Mugitor Veſvius. 3, 208. mons Campaniæ ignivomus, qui mugitu quodam flammarum eruptionem inſtare ſignificat.
Multa cunctatus. 1, 757. i. e. diu, multum.
Multifidæ draconis *linguæ.* 1, 61.
Mundus, pro cœlum. 1, 246. & 563.
Myrtus ſtricta habena. 3, 524. virga myrtea, ex qua lorum, quod proprie ſcuticam facit, dependet, & quod ſtringunt Nymphæ, i. e. ſublatum gerunt, & ictum eo geſtu minantur. Sic Burm.

N.

Naufraga tempeſtas. 1, 584. quæ ſcilicet naves frangit.
Nemus, pro lignis ad ſacrificium paratis. 1, 755.
Nereus, pro mari. 1, 450.
Neſcia rerum, rudis, inculta. 1, 515.
Nimium cubile. 7, 21. i. e. grave & moleſtum.
Nox non caſſa. 4, 424. in qua multum profectum eſt. *nox*, pro luna. 5, 567. *noctis fata*, Eumenides. 3, 252.
Nomen. 2, 587. *ſine nomine fauces*, i. e. ignobiles.
Non habilis, rigidus, incult.

tus, hominum uſui & vitæ cultiori non ſatis accommodatus. 7, 231.
Noſcere, pro agnoſcere. 4, 278.
Nubes nova, Dædalus & Icarus volantes dicuntur 1, 706. *nube mali percuſſus amor.* 3, 573. i. e. ſuſpicione tactus. *nubes*, pro examine apum. 1, 396. *nubes ærata*, nimbus telorum ære præfixorum. 6, 88. *nubes meri*, mentis caligo, quam ebrietas inducit. 3, 66. *nubes pharetræ*, tela denſiſſima. 2, 522. *nubes ſoporis.* 8, 81.
Nubifer Notus. 2, 506.

O.

Obnubere, obnubilare, fumo involvere. 7, 584.
Obſcura mamma, ſtrophis tecta. 3, 526. *obſcura funda ſpargere vulnera.* 6, 193. ex inſidiis, & occulto loco funda vulnerare adverſarios.
Occupat, ſponte & prior alloquitur. 1, 39 & alibi.
Oceani caput genitale. 4, 91. antiqui enim ſapientes Oceanum patrem rerum exiſtimarunt.
Oculi inanes. 4, 435. expertes lucis, & qui viſibiles ſpecies non poſſunt recipere.
Oliva imbellis. 5, 362. pacem portans. *oliva ſupplex.* 3, 424. qua nimirum coronabantur ſupplices.
Omnituens Sol. 5, 248. qui omnia tuetur.
Opes addere, poet. pro aquis augere. 4, 720.
Oppetere, ſimpliciter, pro mortem oppetere, occumbere. 1, 554.
Orbes, pro oculis. 3, 178 & 739. 4, 235.
Oriens, pro Sol. 3, 411.
Oſtriferum Geræſtum. 1, 456. inſulæ Eubœæ promontorium, apud quod oſtrea capiebantur.
Ovare. 2, 507. ſonitum gravem edere, ut in ovatione ſolet fieri. Sic *ovans ſiſtrum.* 4, 418.
Ovatus, *us.* 6, 187. lætus clamor, veluti triumphantium.

P.

Patitur convivia læto vultu. 5, 571. i. e. invitus celebrat, & in iis permanet; ſed non lubenti & benigno animo, quamvis lætitiam vultu ſimulet.
Peltata Euryale. 5, 614. peltam, ſive ſcutum Amazonium gerens.
Pendere, abſolute; pro pœnas pendere. 1, 445. *pendere ab aſtro*, i. e. totum occupatum eſſe aſtro. 1, 481. *pendens Herculeo ſub*

nomine. 3, 600. Burm. explicat: morantur, ſolliciti ſunt, ubi Herculis memoria animo obverſabatur.
Pennæ, pro avibus. 1, 233.
Per, pro inter. *tua per ſuſpiria*, dum ſuſpiras. 1, 173. *per lacrimas*, inter lacrimandum. 1, 767. *per antiqui veſtigia ſomni*, i. e. dum in memoriam revocat ſomnium prius, vel olim viſum. 8, 8. *per bella*, in bello. 6, 35.
Peractus, perfectus, elaboratus. 2, 96. *peractus orbis*, peragratus, & expeditionibus luſtratus & penetratus. 1, 566.
Peragere, pro conficere, occidere. 1, 146.
Perdere æthera umbra, obſcurare, & involvere tenebris, ne proſpici queat. 1, 467.
Perfurere. 8, 383.
Pergere. 4, 121. perſtare, & inimicum animum pervicaciter oſtendere.
Permiſſumque putent. 1, 645. i. e. exemplo ſervatæ primæ navis audeant aliæ ingredi mare, credentes jam permiſſum.
Pernox, tota nocte pervigil. 3, 117.
Perſonus, reſonans. 4, 418.
Phœbus quietus. 1, 230. Duplex enim vaticinandi genus, aut per furorem, aut ſimplex.
Phorcys contrahit phocas murice intorto. 3, 727. i. e. freno e muricibus facto.
Pietas Theſſalici tyranni. 1, 244. i. e. fictus, quem præ ſe ferebat, ardor, cædem Phrixi ulciſcendi.
Piniger Othrys. 6, 393. Theſſaliæ mons, ubi multæ pinus.
Pinus ſonans. 2, 105. ſive capias de flagello, quo armant Furias poetæ; ſ. de face, quæ ex pinu eſt. cf. 2, 196.
Piſtris, ceti, ſive monſtri marini genus. 2, 531.
Pius Æetas. 5, 337. i. e. quem pie colebat Medea.
Placida juga, i. e. leniter acclivia. 2, 636.
Planta intenta, gradus incitatus. 5, 540. Sic contra Mercurius 1, 841 *lenis plantis*, i. e. leniter incedens. & *cunctatæ plantæ* 7, 4.
Plantaria. 1, 67. pennæ pedibus Mercurii, & Perſei appoſitæ, quos volucres finxerunt poetæ.
Plauſa tellus pede. 3, 527. i. e. pulſa.
Plena rege maris. 1, 414. i. e. Neptuni ſemine gravida. *plenus manus patriis habenis.* 2, 507. Græciſmus. *pleni oculos.* 1, 298. ſc. lacrimis obortis.
Pontus jacens. 4, 712. i. e. æqualis, nec amplius ſcopulis & fluctibus terribilis.

Poſcere, ad pœnam & mortem expoſcere. 7, 315. *poſcunt jam ſua tempora Graji.* 1, 543. i. e. petunt Græci imperium ſibi a fatis deſtinatum, ejuſque tempus & opportunitatem jam adeſſe contendunt.
Poſitus, pro ſepulcris. 6, 110.
Pote, pro poteſt. 4, 680.
Potens incepti, voti compos. 6, 680. *potens muneris*, qui munus petitum obtinuit. 4, 366.
Poteretur, pro potiretur. 7, 54.
Præcipere, antecapere. 4, 341.
Præfulgurare vias. 3, 119. i. e. quaſi fulgure illuſtrare.
Præmia ſilveſtria, pro præda venatica. 8, 253.
Præpes, pro vento rapidiſſimo. 1, 578. pro accipiter. 8, 33.
Prætentare, experiri. 1, 314.
Prævidere, procul videre. 2, 442.
Primæva manus, juvenes primi ævi. 2, 480. Sic infra 653 *primæva corpora.*
Primitiæ dolorum. 3, 516.
Primus temo, i. e. pars extrema temonis. 6, 83.
Pro, ante. 4, 110. in, 4, 181.
Procedere, juvare. 8, 458.
Proditus, deſertus, relictus. 7, 486.
Producere, honoris cauſa comitari. 5, 382.
Promiſi. 5, 495. i. e. mihi certo perſuaſi, animo finxi.
Prona ſidera, in occaſum vergentia. 3, 33. *prona ſententia*, favens. 8, 340.
Propellere, ante ſe dejicere. 4, 311. 6, 385.
Propior Erinnys, magis inſtans & urgens. 7, 462.
Proprior dolor. 1, 547.
Proruptus Veſevus. 4, 507. i. e. ex cujus apice prorumpunt flammæ.
Proſubigere, vehementer ſubigere. 4, 288.
Protonare, ante tonare. 4, 205.

Q.

Quadrifida trabs. 1, 663.
Quam, pro potius quam. 7, 428.
Quemque, pro unumquemque, i. e. utrumque. 1, 431.
Queribundus, querulus. 7, 126.
Qui, pro qualis. 3, 396. 5, 518.

R.

Rapere necem, pro raptim ad ſe arceſſere, ſubito conſequi. 6, 191.
Ratis, pro Argonautis, qui erant in navi. 3, 79.
Reciproca ratis, aſcendens, & viciſſim deſcendens. 8, 331.

Recoquere feſſos ætate. 6, 444. ſenibus juventutem reſtituere; quod Magi ſe efficere poſſe jactabant.
Redit in nubem Oſſa. 2, 16. i. e. longinquitate evaneſcit velut nube tecta, & ex oculis tollitur.
Refecta Io. 4, 391. i. e. priſtinæ formæ reſtituta, & iterum puella facta.
Referre, ſæpius iterare. 2, 658.
Refluens Padus. 8, 90. relabens & a mari verſus fontes fluens, obvio ſc. æſtu marino repreſſus.
Refovere, ſanitati priſtinæ reſtituere. 5, 18.
Refuſæ ſpiræ, laxatæ, & in longum expanſæ. 5, 255.
Regificus paratus, qui regem decet. 2, 653.
Remiſſa cervix, languida, non erecta. 3, 334. *remiſſus*, vulnere debilitatus & confectus, in terramque pondere ſuo delapſus. 6, 252.
Renodatus, pro ſolutus. 5, 381.
Repens, ſubltus, repentinus. 2, 91.
Repoſtus, conſecratus. 2, 286.
Requirere, deſiderare. 5, 423.
Res, pro factis egregiis & fortibus. 1, 99, 102. 2, 381. 3, 680 & alibi. *triſtiſſima rerum*, calamitates, caſus acerbi. 3, 369.
Reſiſtere, pro quieſcere. 6, 755.
Reſoni ictus. 1, 619.
Retentare, pro reprimere. 3, 97. pro iterum tentare. 5, 173.
Reverberare, iterum iterumque verberare. 6, 170. *reverberare ignes.* 1, 516.
Reverti in dextram, reconciliari data dextra. 7, 652.
Revocare axes, in hoſtes retorquere. 6, 409.
Robur, pro clava. 1, 634: 2, 534. *robora*, pro viris robuſtæ juventutis. 2, 644.
Ruere, pro eruere, proſternere. 3, 102.
Rumpere curſus. 1, 4. *rumpere iter.* 3, 241. i. e. facere. *rumpere lumina fletu.* 5, 341.
Rumpia, Gr. ῥομφαῖα, haſtilis Thracii genus, vel gladius anceps. 6, 98.
Rurſum, pro contra. 3, 645.

S.

Sacrificæ aræ. 8, 243. *ſacrificum jugum.* 4, 110. i. e. ubi ſacra fiebant.
Sanguis (ſc. cæſorum Cyzicenorum) *ſeverus.* 3, 447. quia vindictam poſcebat ab interfectoribus. *ſanguis aheni Tænarii.* 5, 513. purpura Lacedæmonia.
Saturnia ſidera. 2, 364. pro gravia & noxia.
Scopuli, pro ſaxis ingentibus. 6, 384.

Scopuloſa terga, ſcopulis horrentia. 2, 518.
Secreta antra. 1, 751. a Tartaro & impiorum ſedibus remota.
Securiger, ſecurim gerens. 3, 191. 5, 138.
Sedes, pro ſepulcrum. 5, 8. 7, 208.
Sedet, pro certum & decretum eſt. 1, 555.
Segnis flatus. 8, 98. i. e. ſine igne; inde enim vocem hanc deducit Serv. ad Virg. XII, 525.
Semineces Gorgonis *crines.* 6, 176. ſerpentes nimirum, qui Meduſæ verticem crinium loco tegebant, capite recens abſciſſo ſemimortui.
Senta juga, ſentibus oppleta. 3, 584.
Separ urna, diverſa. 5, 58.
Servare. 4, 105. inſidiatoris more explorare.
Si, pro an. 1, 75. 6, 4. 7, 30.
Sidera properantia. 5, 197. tempeſtates, vel celeriter moveri ſolitæ, vel incitatæ in exitium navigantium.
Siderei anni, ferventes, calentes ſidere ſolis. 3, 401.
Singultantia ora. 2, 211. caput recens abſciſſum, hians & tremens.
Sinus, veſtis. 2, 104 & 212. 8, 18.
Siſtere. 2, 219. ad compoſitam mentem reducere.
Sociatrix gratia, conciliatrix. 5, 500.
Solata puppis, deſolata, gubernatore carens. 3, 41.
Soligena. 5, 224. Æetes, Colchi rex, Solis filius.
Solvere ſcelus. 2, 294. i. e. luere, puniri propter ſcelus.
Somniferæ veſtes. 7, 247.
Somnus, pro morte. 3, 179.
Sonor, pro tonitru. 5, 306.
Sontes, pro occiſores. 3, 389.
Soporatus lucus. 5, 238. i. e. draco in luco Martis, qui vellus aureum cuſtodiebat, venenis Medeæ ſopitus.
Soporus, ſopitus, ſomno gravatus. 2, 221.
Sorores. 3, 387. i. e. Furiæ.
Sortitus, us. 3, 379.
Spargere, in diverſas oras ablegare. 2, 596. 5, 488. *ſpargi*, in diverſam partem abire. 6, 656. *ſpargit famem leo.* 6, 614. i. e. extinguit famem, modo in hæc, modo in illa animalia irruendo, & diverſa occidendo.
Specimen matris. 6, 58. i. e. inſigne, ſive documentum, quod argueret matrem.
Speculatrix. 7, 190.
Spes effœta, quæ caret ſucceſſu. 4, 300. *ſpem ſibi ferere.* 5, 271.
Spira, pro faſcia. 6, 396.

Spiracula fontis, ſcatebræ, ſcaturigines. 3, 553.
Sponte Dei, juſſu & arbitrio Dei. 4, 358.
Stata dona, certa, fixa, ſtatuta. 2, 488.
Stellantia lumina, fulgentia. 2, 499. *ſtellantia tegmina.* 3, 98. *ſtellantia tecta*, cœlum. 5, 623.
Strages Deûm, active, quam Dii inferunt; i. e. major, & quæ evitari nequit. 2, 179. Sic 8, 336 *prælia Divûm*, tempeſtatem maximam vocat; & *iram Deorum* 1, 682.
Struerem per ſecula reges, 1, 535. i. e. animo meo proponerem & decernerem reges, qui per ſecula ventura imperarent terris.
Studia, factiones. 3, 628. 5, 625.
Stupuerunt flumina bruma. 5, 603.
Suadet, 3, 548. invitat, ſollicitat habitu ſuo, & ſpe, quam dabat, poſſe capi.
Sublustris umbra, incerto ac tenui lumine interrupta. 3, 142.
Subtexere, pro ſubjungere. 5, 414.
Suffecta leto lumina, jam morte natantia, & labentia, ut alibi loqui ſolent poetæ. 1, 821.
Superi, in terra viventes. 1, 792.
Superincendere. 2, 126.
Supremus, ultimus, & poſtea non iterandus 1, 752 & 781. 3, 349. *ſupremum tempus*, ſummum periculum. 5, 25.
Surgere, oriri. 4, 455. 5, 222. 6, 419. *ſurgitur in ſomnos* 5, 696. itur dormitum.
Suſcitare, recreare ac erigere. 8, 233.
Suſtinere, fovere 1, 348. reficere, recreare 8, 231. *ſuſtinere vulnus*, vim vulneris infringere 6, 276. *ſuſtinere ſe*, curſum inhibere & gradum premere. 3, 101.
Sutilis domus. 6, 81.
Suus, pro mutuus. 7, 638.

T.

Tacitæ horæ, i. e. nocturnum tempus. 2, 60. *tacitus paſſus*, lentus, tardus. 5, 352.
Tardus fugæ. 3, 547.
Tegmina cælata ignes diſperſos 6, 54. Helleniſmus. *tegmina improba*, quæ modum pedum excedebant 6, 702.
Tellus minor antra, i. e. antris minoribus. 1, 582.
Tempora, pro feſtis & lætis diebus. 8, 163.
Tenere, voluptate quadam capere, & ad majora incitare. 1, 102 & 262.
Tergemina hera, i. e. Hecate. 1, 781.
Terræ, pro homines. 1, 631.

Terrificare 8, 428.
Terrifici pecudum monitus. 1, 29. i. e. haruſpicum minæ.
Thiaſi, ſaltationes, quæ Baccho exhibebantur 1, 845.
Tholus, umbilicus teſtudinis templorum, ex quo donaria pendebant. 1, 57.
Tolli, cum impetu, magnis gradibus ire 3, 133. 8, 55.
Trabes, pro arboribus. 3, 484. 5, 641. 6, 77. 7, 395 & alibi.
Trahere, morari. 4, 441. *curis trahere*, pro in curas diſtrahere, & ſuſpenſum tenere. 5, 549. *longe trahere*, a turba ſeducere. 8, 414. cf. 3, 372.
Tranquilla tuens, i. e. placido aſpectu 1, 38.
Trieterica æra. 2, 259. quorum uſus in Bacchi ſacris, quæ tertio quoque anno celebrabantur.
Trilinguis cantus. 7, 184.
Turbo doloris. 6, 280.
Tutela coronatæ carinæ. 1, 301. Palladis ſimulacrum, quod in puppe erat.
Tyrrhenus piſcis, i. e. delphin. 1, 130.

V.

Vacua arbor. 1, 399. Pius explicat: evacuata ex deſcenſu ſerpentis, cum prius immenſi tortuoſiſſimique draconis nodis implicaretur. *vacuus Avernus* 2, 603. qui non corporibus, ſed umbris colitur & inhabitatur. *vacui montes*, ſoli, in quibus nemo oberrat. 4, 21, 248. Sic 3, 222 *vacui agri. vacuum os*, 7, 528. quod nihil apprehendebat, licet hoſtem peteret.
Vaga imago, Echo. 3, 597.
Veniam dare, precibus annuere. 1, 196.
Vernus, vernans, florens. 5, 344.
Vertere fata, mutare. 2, 572.
Veſvius, pro Veſuvius. 3, 209.
Viæ, pro multiplicibus erroribus, & longis viis. 4, 350. cf. 7, 19.
Vibrare, pro coruſcare. 2, 67 & alibi.
Victa moles. fatiſcens, quæ amplius reſiſtere nequit ruinæ ſuæ. 1, 829.
Virgatus. 2, 159. Diffident interpretes, an de veſtibus virgatis, i. e. diſcoloribus, an de notis & ſtigmatibus (ut ſupra v. 150 *picta manus*) ſit capiendum. Poſſet etiam de pictis corporibus, ut ſolebant multi Scythæ, recte accipi. vid. Burm. ad h. l.
Virginis unda. 8, 355. unda a Medea concitata. *virginis anni.* 8, 409. i. e. rudes, faciles decipi.

Virides lacus, arboribus & ſilvis cincti. 5, 149.
Vitæ. 6, 188. i. e. corpora vitalia quidem, ſed vulneribus ſtrata.
Vix, pro mox, ſtatim. 7, 537.
Ultima belli, pericula belli. 8, 385.
Ululata tellus, ululatibus reſonans. 4, 608.
Umber edax. 6, 420. canis venatici genus ex Umbris.
Uncæ manus, curvatæ. 7, 312.
Uncus. 8, 298. fuſtis incurvus in uſum navalem, quo injecto poterant navem attrahere terræ.
Undare, pro abundare. 1, 539. *undare curis*, fluctuare. 5, 304.
Undiſona Pſamathe. 1, 364.
Unum frigus, continuum, per totum anni tempus, & omnes regionis partes pariter infeſtans. 7, 230. *non una formidine*, vario metu. 8, 307.
Vocatus, *us*. 2, 207.
Volens, propitius. 2, 324. 4, 484.
Urgere caput imperiis. 5, 487.
Uſum dedit ſtellis. 1, 482. i. e. docuit, navigantibus utile eſſe ad eas curſum dirigere, cum antea inutiles generi humano viderentur.
Ut, pro quamvis. 4, 705.
Vulnificum plumbum. 1, 420.
Vultus. 1, 39. *fictis dat vultum & pondera verbis*, i. e. fidem orationi ſuæ fecit placido & blando, quem fingebat, vultu.

Bibliothek MÜNCHEN

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

